Dat. die 16. Augusti 1767. Anno X.

## DCXVII.

### Canonizatio B. Seraphini a Monte Granario ex ordine minorum cappuccinorum.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Pretiosa illa super omne aurum, et argentum, ac regnis ipsis, et sedibus præoptanda sapientia, qua nimirum docemur, caduca omnia despicienda, et non quæ super terram, sed quæ sursum sunt quærere, et sapere, tametsi nullam respuat indolem, ac diversis hominum ingeniis æque se communicet, cælestiaque charismata, quibus affluit, libentissime largiatur: in rudes tamen homines, atque idiotas gaudet aliquando sese uberius effundere, ut sæculi hujus sapientes, quos nempe scientia inflat, confundat, ac de sapientia sua inaniter gloriantes humiliet. Idcirco fons veræ sapientiæ verbum Dei Christus Jesus, qui revelare se dixit abscondita a constitutione mundi, exultans olim in spiritu ad eum, cujus unigenitus est, conversus: confiteor, inquit, tibi pater domine rex cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis: atque id quidem in catholica romana Ecclesia ab ejus exordio, ad hanc usque diem, semper videre licuit, apparuitque luculenter, quam vere de sapientiæ authore scriptum sit. Et cum simplicibus sermocinatio ejus.

Beati Seraphini virtutes, et merita generatim collaudantur.

§. 2. Mirum vero in modum novissime, superiori scilicet sæculo luculentissime perspectum fuit in beato Seraphino a monte Granario ab Asculo denominato, laico professo ordinis minorum sancti Francisci capuccinorum nuncupatorum, qui rudis, et literarum omnium expers; cum neque legere nosset, neque scribere, literatos tamen ipsos, atque eruditos longo post se intervallo reliquit, utpote qui ex libro illo scripto intus et foris, hoc est Christo Jesu; docibilis Dei hauserat tantum cælestis doctrinæ, ut inter præcipuos divini præceptoris discipulos propter supereminentem scientiæ charitatem numerandus esse videatur. Cum itaque pauper hic apud homines tam dives fuerit apud Deum gratia, et virtutibus, atque ad majorem his laudem, et celebritatem conciliandam evidens accesserit testimonium per miracula, quæ omnipotens Deus beati hujus servi sui intercessione patrare dignatus est, nos, nulla re prætermissa, quæ in tam gravi caussa servari solet; de consilio et assensu venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in romana curia frequenti numero congregatorum, implorata iterum, iterumque Dei ope eumdem beatum Seraphinum utpote civem cælestis Hierusalem publico in Ecclesia cultu prosequendum esse declaramus, et in sanctorum numerum referendum decernimus.

Nascitur anno 1540, et ab infantia futuræ sanctitatis indicia præbuit.

§. 3. Seraphinus in oppido montis Granarii Firmanæ Diœcesis natus est anno reparatæ salutis MDXL. Parentes habuit humiles quidem genere, sed honestos, ac pios. In baptismo nomen illi inditum, Felix. Pia et sedula matris optimæ disciplina probe institutus ab ineunte ætate proferre cœpit futuræ sanctitatis indicia. A puerorum oblectamentis, et pravorum sodalium consuetudine alienus nihil ferme puerile habuit, præter innocentiam. Assiduus in templis erat; ac præterea ad intentius orandum loca sæpe abita acquirebat. A villico, cui operam suam locaverat, demandata armenti custodia impedimento non erat, quin consueta pietatis officia diligentissime obiret. Secretiorem namque sylvarum solitudinem quærens, ibi de genu fervidas ad Deum preces fundebat, easdemque mox a brevi vespertina cœna diu multumque iterabat. Domum a fratre post parentis obitum revocatus, ut in cœmentaria arte sibi esset adiutor, atque ab effero illius ingenio aspera quæque perpessus Felix inhumani fratris convicia, verbera, mallei etiam crudeles ictus æquo, diu, atque invicto animo tulit. Neque vero fratris asperitas, et laboriosæ artis exercitatio dimovere illum potuit ab eo, quod sibi proposuerat, ut tribus in hebdomadam diebus jejunaret, ac pia precatione, animum per id maxime tempus, quod cæteri laborum socii reficiendo per cibum corpori dabant.

Cappuccinorum familiam ingreditur, inibique severiores Instituti regulas diligentissime observavit.

§. 4. Quam accepta Deo esset servi sui pietas, insigni sane miraculo patefactum est. Quum enim deiparæ Virginis, cujus se in fidem, et clientelam tradiderat, sacram Lauretanam ædem inviseret, Potentiæ flumen ex aquarum redundantia intumescens, quod nemo sociorum trajicere ausus erat, ipse, obstupescentibus qui aderant, semel atque

iterum sicco vestigio transivit. Ex audita lectione de divini judicii severitate tanto motu, ac terrore perculsus est, ut de vita heremitica cogitaret. Sed meliore deinde consilio rigidum capuccinorum institutum statuit amplecti, quod quidem non sine iteratis precibus, et lacrymis tandem obtinuit. Voti compos, Seraphini nomine assumpto, in tyrocinio ita se gessit, ut peracto anno probationis, in sacrum illum ordinem cooptaretur omnium suffragiis. Novum inde atque ardentius perfectionis evangelicæ studium in ejus pectore efferbuit. Itaque severioris illius instituti leges omnes, quamdiu vixit, ita observavit, ut diligentiam mirarentur omnes, pauci admodum imitari se posse confiderent. Benignus erga omnes, lenis, affabilis; superioribus vero ita obsequens, ac dicto audiens erat, nullum ut munus, quantumvis arduum, ac laboris plenum defugeret, nihil cunctaretur, nihil perquireret, in id unum intentus, scilicet ut imperata quæ fuerant, ea sequeretur.

Paupertate præcelluit, cæterisque virtutibus.

§. 5. Paupertatem vero ita adamavit, ut ab iis etiam, quibus carere vix possumus, abstineret. Cellulam perpetuo habitavit obscuram, humilem, squallidam, duro lectulo, vili scamno, nulla supellectili instructam. Vestis illi nonnisi obsoleta, ac detrita; eadem et in cæteris rebus, quæ corpori operiendo deserviunt, extrema paupertas. Jamvero ea erat vitæ innocentia, ut nullo se umquam crimine obstrinxerit, quin etiam a levibus quoque noxis, itaut in sacra exemologesi nihil ferme, quod expiandum esset, afferret. Quidquid enim voluntati Dei consentaneum non esset, non modo cogitare, sed ne audire quidem fas esse ducebat. Diebus fere singulis eucharistico se pane reficere, et sacrificiis, quotquot poterat, adesse, ac ministrare, protensis in formam crucis manibus, solemne habuit. Inexplebile orationis erat studium, ut diurnas plerumque, ac nocturnas horas in ea consumeret. Cæterum, excepto trium dumtaxat horarum spatio, quod quieti corporis negare non poterat, reliquum tempus omne, vel rerum divinarum contemplationi, vel piis precationibus impendebat.

Et præcipue charitate erga Deum et proximum.

§. 6. Quum in re qualibet aliquod Dei vestigium agnosceret, inde fiebat, ut ubi esset, quidquid ageret, ad contemplationem rerum cælestium facile raperetur, atque tum etiam oraret, cum aliud agere videbatur. De Christi Domini cruciatibus quotidiana meditatio ita animum afficiebat, ut de ea sine lacrymis nec cogitare, nec loqui, neque audire loquentem posset. Tanta in Deum charitate ferebatur, ut pro illius gloria mortem oppetere vehementer optaret. Itaque superiorem supplex adiit, a quo potestas sibi fieret, in regiones se barbaras conferendi, ut incensam apud eas martyrii sitim expleret. Charitati erga Deum gemina erat, et erga proximos charitas. Quocirca errantes corrigere, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, qua monitis, qua precibus, qua etiam objurgationibus conabatur. Nec vero frustra. Multi enim a perdita vivendi ratione ad bonam frugem redacti, multi a sæculi vanitate, et mundi periculis ad securius religiosæ vitæ institutum illius opera traducti sunt. Aleas e ludentium manibus non semel extorsit. Intestina, atque inveterata inter Asculanos cives odia, et dissidia homo ut erat humili loco, nullis literis, professione laicus extinxit. Tantum illi auctoritatis a sanctitate perspecta. De miseratione ejus in pauperes, atque egenos illud vere dici potest, quod ore pallente, jejuniis, fame torquebatur aliena, ita quidem ut aliorum memor, immemor sui dimidio in diem pane victitans, quod reliquum erat, cum integro fere obsonio in pauperes erogaret. Quin etiam eo processit, ut, in quadam annonæ difficultate, ex illo ipso dimidio pane alteram adhuc partem detraheret, qua esurientibus quoquomodo poterat subveniret. Contigit aliquando, ut a præside reprehensus, quod pro numero pauperum pane non suffecturo, olera ex horto distribuisset, bono illum animo esse juberet: neque propterea enim defuturam religiosæ familiæ olerum copiam, quæ satis foret. Quod quidem eventu non caruit. Succisis enim pridie germinibus, alia subinde mane satis abundeque succrescere conspiciebantur. Illud autem mirandum magis, quod quum horti pars quædam exigua eidem a præside peculiariter in usum pauperum attributa esset, plus ea fructuum, quam reliquæ, tametsi longe majores, et multo diligentius excultæ partes, afferret.

Mortificatione corporis, et cruciatibus carnem continebat.

§. 7. Neque vero in uno, aut altero calamitatis genere Seraphini misericors indoles se continebat. Carceribus enim detentos invisere, sedulo ad patientiam hortari, et quidquid solatii posset, afferre consueverat. Mœrentes præterea solari suaviter, ærumnis pressos in spem erigere, ægris inservire, assidere lectulo, bene monere, vilissima quæque ad eos sublevandos ministeria obire, hæc illi dulcis cura, jucundaque

exercitatio. Jamvero qui tam leni et benigno erga alios ingenio erat, juvat nunc videre quam durus, atque acerbus in sese fuerit. Asperis contextum setis cilicium, velut alteram vestem, quam numquam exueret, ad nudam carnem perpetuo adhibuit. Confecto e clavorum acuminibus flagro utebatur ad quotidianam corporis lanienam, qua fiebat, ut copiosus e laceris membris sanguis deflueret. Sandaliis inferne omni ex parte detritis, cum nudi pedes relinquerentur, pellis nonnunquam derumpebatur, cui ille malo dum acu diruptam pellem consuit, acriori longe malo, ac dolore medicinam faciebat. Fuit aliquando, cum noctes ipsas insomnes traduceret. Cæterum brevissimam illam, quam supra diximus, trium tantummodo horarum quietem non aliter fessis membris, quam vel sedens, vel capite ad scamnum reclinato indulgeret.

Mira ciborum abstinentia, novo carnem cruciatu afficiebat.

§. 8. Diris ejusmodi cruciatibus abstinentiam addidit singularem, crebra et longa sui ordinis jejunia servare, quasi loco ille deliciarum habuisset. Itaque illud adjecit, ut exigua etiam vespertina refectione perpetuo abstineret, et tres hebdomadæ dies pane dumtaxat, et aqua transigeret; quod quidem inediæ genus jam inde ab adolescentia tolerare consueverat. Reliquis autem diebus ad partem panis exiguam nihil obsonii adhibebat, unica, eademque insuavi, quæque sociis etiam pridie superfuisset; cinere nonnumquam conspersa, pulte contentus. Atque inde ortum habuisse censendus est malus ille habitus corporis, ex quo fiebat, ut sanguinem mingeret. Inter has macerati corporis asperitates, adjuncta præsertim oculorum custodia, securior in dies, et vividior castitas efflorescebat, quam nulla umquam labe inquinatam, nullaque, vel raro admodum, ut fertur, corporis aut mentis pugnam tentatam servavit.

Humilitatis virtute sublimis, proprium contemptum appetivit.

§. 9. Jamvero si castimoniæ custos est humilitas, hæc in eo tam alte radices egerat, ut quamvis alieno judicio Sanctus, scelestissimus omnium, ac nequissimus esset suo. Laudis humanæ fugitans, contemptus sui appetens quam qui maxime. Cujus quidem rei, hæc duo perridicula sint argumento. Prandere aliquando jussus apud nobilem civem, alias ab Asculano episcopo Cardinali, utrobique ita se gessit, ut ludum, et risum tamquam incomptus, et rusticus de se præberet. Ibi enim ad liquidæ pultis esum fuscinula usus est: hic ovum sorbens de industria in barbam effudit, Patientia porro in eo admirabilis plane fuit, tum in fratris, quæ dicta sunt, verberibus, et conviciis, tum in iis pene quotidianis mulctis, ac poenis, quæ a religiosis præsidibus infligi solebant. Ab aliis enim ob ingenii tarditatem duriter, ne dicam immaniter, ab aliis ad experimentum virtutis severe, ac rigide multabatur. Atque hæc quidem initio turbarunt hominem, sed implorata postea Dei ope confirmatus, aspera quæque ita ferebat, ut ea beneficii loco duceret, et manus, pedesque illis, qui quoquomodo multassent, oscularetur.

Mansuetudine summa, injurias æquissimo animo tulit.

§. 10. Par fuit in eo lenitas, et mansuetudo, qua illatas sive ab externis, sive a domesticis etiam injurias æquissimo animo tulit, impacta ab nequissimo homine alapha, apprehensa a domestico per contumeliam barba, atque aliquot pilis evulsis, nullum omnino Seraphinus perturbati animi signum dedit. Sed illud longe præclarius. Cum enim protervus quidam, atque impudens, mali dæmonis instinctu, nudum illius caput plumbea lamina tam graviter percussisset, ut Servus Dei præ dolore animo linqueretur, ac pene exanimis humi procumberet, statim ac redditus sibi fuit, ridenti vultu, ac lenissimis verbis percussori, quasi optime de se merito, fausta illi omnia a Domino precatus est. Ad injurias hominum accessit et alia a dæmone haud minus dira vexatio. Modo enim protrahere pedibus, dum ille oraret, modo sublime elatum conari ad terram allidere, modo sævissimis plagis ægrum illius, et confectum corpus male multare consueverat. Quas tamen ille molestias, ac teterrimas infestationes ita despiciebat, ut adversarii nequissimi increparet ignaviam, atque ad sæviendum acrius acueret. Qua quidem animi magnitudine dæmon adeo victus, et fractus est, ut ejus deinde præsentiam ipsam reformidaret, atque ab ossessis corporibus eo adventante diffugeret.

Tantis prædi. tus virtutibus Servus Dei cælestibus donis insignitur.

§. 11. Tantam virtutum præstantiam cælestibus donis Deus inornatam esse noluit: itaque servum suum superno lumine, quo futura prædiceret, et cordium secreta penetraret, plurimis etiam raptibus, ac mentis ab usu sensuum alienationibus insignivit. Pluribus quoque etiam, gravissimis morbis laborantibus, adhibito a Seraphino, sanctissimo Crucis signo, sanitas restituta fuit. Quocirca confluentium ægrorum ad montis Granarii coenobium tanta erat multitudo, ut in iis fausta precatione sanandis non semel dies tota Seraphino

abiret. Accedebat e tumultuosa gentium frequentia coenobitis illis molestia non levis. Itaque parum abfuit, quin præses factam servo Dei potestatem divinitus patrandi prodigia ex obedientia coerceret. Sed ad vitandam molestiam satis visum est, si Seraphinus in Asculi coenobium demigraret. Tam multis igitur, ac tam præclaris virtutibus, ac donis cælestibus cumulatus apud omnes non vulgares modo, sed etiam summos, ac præstantes viros sanctitatis nomen, et famam adeptus est. Illum consulere, illius se precibus commendare, incedenti per viam non solum deosculari vestes, sed etiam præscindere.

Tandem meritis refertus ad cælestem patriam migrat.

§. 12. Sed jam dies aderat, quam sanctitas tam excellens aliis longe illustrioribus in Coelo honoribus decoraretur. Gravem pectoris affectionem e corporis maceratione contractam, qua quodam veluti jaculo confodiebatur diu ille dissimulaverat. Sed cum magis magisque ingravesceret, optatissimam sibi ex ea mortem instare superno etiam lumine intelligens, postulavit, ut sanctissimæ Eucharistiæ viatico muniretur. Abnuebant medicus, et sodales, quod morbi gravitas nondum se prodebat, præsertim cum æger nec ureretur febri, nec lectulo decumbere cogeretur, sed iteratis precibus obsisti non potuit. Sanctissimum igitur Christi corpus allatum est; quod quidem quo ille animi sensu, quo amoris æstu perceperit, angeli magis, quam homines intelligere potuerunt. Postulat subinde, ut oleo sacro inungatur. Quod pariter cum præproperum fratribus videretur, affirmat ille quod in præsens negligerent, satis festinanter paullo post omnino facturos. Itaque post fervidas per horam de genu in lectulo fusas preces, sublatis ad coelum oculis Deum obsecrat, ut quandoquidem sodales se loquentem non audiebant, divinis ipsius vocibus auscultantes sanctum ad se oleum afferrent. Precationem hanc deliquium animi statim secutum est cum pallore vultus, aliisque defecturæ mox vitæ signis, quibus videlicet sodales admoniti, expetita illum unctione propere munierunt. Itaque ad servi Dei solatium cum nihil restaret aliud, placido vultu in conventu sui ordinis civitatis Asculi sanctissimam Deo animam reddidit.

Post mortem Servi Dei, fama sanctitatis illius undique resonavit.

§. 13. Porro coenobii custos veritus (quod assolet in sanctorum hominum funere) tumultuosam confluentis populi multitudinem, nullo edito campani æris signo, servi Dei pretiosam mortem occulere cogitarat tamdiu, dum justa illi solemnia de more persolverentur. Sed divinitus factum est, ut puerorum voce per urbem Seraphini obitus vulgaretur. Quod cives cum audivissent, ad coenobium omnes accurrere, servi Dei corpus exosculari, vestes tertio, atque iterum superinductas præscindere, pilos auferre, præcidere ungues, quin etiam nec corpori parcere, nisi adhibitis decem custodibus cautum esset, ne sanctum cadaver ab imprudenti multitudine discerperetur. Venerationem auxit non mediocrem suavissimus odor, quem molle, ac flexibile corpus efflabat, donec lignea capsa holoserico intus convestitam inclusum peculiari tumulo, senioribus urbis ita jubentibus, mandatum fuit.

Referuntur acta processus super vita Servi Dei ex instituto S. Rituum Congregationis.

§. 14 Memoriam, quam moriens reliquit sui nominis sempiternam, statim testatæ sunt quamplures ejus imagines tum impressæ, cum pictæ, ac duæ potissimum, quarum altera in ædibus magistratus, altera ad tumulum, quod ea ætate licebat, posita fuit. Concursus inde ad sepulchrum, non a propinquis modo, sed etiam a dissitis locis augescebat in dies, prout nova subinde, invocato servi Dei nomine beneficia impertita populorum frequentiam excitabant; ita quidem ut, cum votivis tabellis in pariete spatium deficeret, auferendæ fuerint veteres, ut novis fieret locus. Anno deinde domini MDCX. Asculanorum civium precibus piæ me: Paulus V. prædecessor Noster annuit, ut ad beati viri sepulchrum accensa lampas venerationis publicæ testis esset perpetua. Civium pietatem æquavit sedulitas præsulis asculani in cognitione caussæ super fama sanctitatis, virtutibus, et miraculis servi Dei; cum igitur processum, quem informativum vocant, explevisset, res in tunc existentium S. R. E. Cardinalium congregatione sacris ritibus præposita delata fuit, ac ad trutinam revocata, atque, ut ea ferebant tempora, di VII. Junii MDCXXV. impertita fuit facultas specialiter in caussa inquirendi. Itaque, auctoritate apostolica, nova caussæ cognitio instituta, atque in acta relata, siluit tamen ad annum usque MDCCIV. Sed quum ex decretis interea a ven. mem. Innocentio XI. etiam prædecessore Nostro confirmatis, ad prosequendam, rem necessaria esset nova resumendæ caussæ commissio, non ante id obtineri contigit, quam sub recol. mem. Clemente XI. pariter prædecessore Nostro ad annum MDCCXII. probato deinde cultu, qui, pontifice annuente, beato viro exhibi-

tus fuerat, et casu excepto a decretis rec. mem. Urbani VIII. itidem prædecessoris Nostri tandem fel. rec. Benedictus XIII. similiter prædecessor Noster anno MDCCXXVI. peculiari Cardinalium, qui sacris ritibus præsunt, congregationi negotium dedit, ut de servi Dei virtutibus examen instituerent.

Interim Officium, et Missa sub Ritu duplici de Beato Seraphino indulgetur.

§. 15. Inter hæc ab eodem Pontifice, mense augusto illius anni, facultas concessa est, ut Seraphini corpus a veteri sacello ad alterum recens extructum, ad ejus honorem proprie dicatum publice transferretur. Sed anno demum MDCCXXIX. auctior fuit et servo Dei cultus, et cultoribus ejus lætitia; tunc scilicet, quum laudatus Pontifex benigne indulsit, ut ab universo Ordine minorum sancti Francisci, atque a clero præterea tum civitatis, et diœcesis Asculanæ, tum oppidi montis Granarii officium sub ritu duplici quotannis recitaretur, et missa ad honorem beati viri celebraretur die XII. Octobris, die scilicet, qua ejusdem fortunati obitus annua memoria recurrebat. Jussu deinde Clementis XII. itidem prædecessoris Nostri, qui, Benedicto prædecessore vita functo, proxime successerat, a peculiari quem diximus Cardinalium consessu beati Seraphini virtutum inquisitio ad ordinariam sacrorum rituum congregationem revocata, cum probationibus, ut ajunt, directis, inniteretur, tandem factum est, ut ratæ haberentur, ac probarentur.

Deinde miraculorum examen institutum, binaque ex illis probata.

§. 16. Absoluta denique inquisitione, seu processu apostolico super miraculis post indultam B. Seraphino venerationem, a Deo patratis, et comperta die XVII. Septembris MDCCLXIII. processus validitate in ordinaria sacrorum rituum congregatione, cujus decretum nos die XXIV. ejusdem mensis confirmavimus; subinde miraculis ipsis in congregatione antepræparatoria diei XXVII. Novembris MDCCLXIV. examinatis, atque iterum in præparatoria congregatione diei IX. Junii MDCCLXV. Postremo vero in generalibus comitiis coram nobis die XXVIII. Januarii anni proxime exacti, ut moris est, perpensis, atque discussis, duo ex illis in tertio genere IX. Martii ejusdem anni (ad quam usque diem divinam opem imploraturi decretum distulimus) rite approbavimus. Primum nempe instantaneæ sanationis Januarii Ranalli a pessimo ulceroso tumore sub sinistram axillam, quo per plures jam menses conflictatus, frustrata diu chirurgorum industria, nonnisi ferro, aut igne curari posse videbatur. Alterum vero perfectæ sanationis a paralysi sinistræ manus, qua correptus fuerat Ugo-Antonius Carletti, dum septuagesimum quartum ageret ætatis annum, quod naturæ vi, seu humanæ artis ope nequaquam assequi potuisset.

Tandem assueto ritu Canonizationis processum, et dependentia acta consumata.

§. 17. His itaque duobus miraculis cognitis, et approbatis, illud definiendum supererat, an ad solemnem beati viri canonizationem rite procedi posset, quod cum universi patres unanimi suffragio assererent, Nos sancti Spiritus tum propriis, tum aliorum precibus implorato lumine, die XII. Octobris proxime præteriti decretum in eamdem sententiam edidimus. Cumque dilecti filii civitatis nostræ Asculanæ magistratus et incolæ, ac religiosissimus ordo dictorum fratrum S. Francisci capuccinorum nuncupat. enixis precibus a Nobis postularent, ut decretam beati Viri canonizationem tandem exequeremur, Nos ut in hoc gravissimo negotio juxta præscriptam a prædecessoribus Nostris agendi normam procederemus, universi primum collegii eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium in consistorio secreto die XXVII. Aprilis proxime elapsi coram Nobis congregatorum sententiam, atque consilium exquisivimus. Quibus post auditam a nobis gestorum seriem, et beati Viri præclara merita, ad legitimam caussæ hujus absolutionem una voce nos adhortantibus non viciniores modo, sed remotiores per Italiam venerabiles fratres Archiepiscopos, et Episcopos monendos curavimus, ut ad Urbem sese conferrent, et nobis de beati Seraphini, nec non beatorum Joannis Cantii, Josephi Calasanctii a Matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, et Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal solemni canonizatione deliberantibus, consiliorum etiam suorum suffragia, prout spiritus Dei ipsis suggessisset, exponerent.

Consistorialia acta de more confecta et constans sententia pro Beati Seraphini Canonizatione.

§. 18 Ut autem præclaræ beati Seraphini virtutes, et probata miracula, necnon in totius caussæ discussione adhibitæ cautiones neminem laterent, indicto prius publico consistorio coram nobis, universoque ecclesiasticorum ordinum, et collegiorum consessu, mandavimus inibi a dilecto filio Josepho Ascevolini, Nostræ consistorialis aulæ advocato virtutes, et miracula beati Seraphini oretenus palam exponi; integrum quoque, et exactum eorumdem compendium ex authenticis documentis fideliter collectum, typisque impressum, omnibus suffragium laturis, ex-

hibendum curavimus. Demum convocatos die x. labentis mensis Julii in consistorio semipublico præfatos S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, qui jam in Urbem convenerant, ab iis quæsivimus, an ad beati Seraphini canonizationem deveniendum esse censerent. Ipsi vero, uno omnes ore, pluribus, gravibusque rationibus in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Nosque a dilectis quoque filiis apostolicæ sedis notariis publica instrumenta confici, ac præterea suffragiorum ipsorum exempla, a singulis subscripta, in tabularium Ecclesiæ romanæ referri mandavimus.

Publicæ preces indictæ ad Divinum implorandum auxilium in re tam gravi.

§. 19. Reliquum erat, ut a Patre luminum, quid ei placitum esset edoceremur. Indicto propterea per totam Urbem triduano jejunio, in tribus patriarchalibus basilicis sanctissimum eucharistiæ sacramentum publice adorandum exponi mandavimus, omnibusque christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, sacraque communione refectis, unam saltem ex dictis basilicis visitantibus, atque in ea, ad implorandam in tanto negotio divinam opem plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus. Humillimas quoque Nostras, et diuturnas fudimus omnipotenti Deo preces, donec hac die beatissimæ Mariæ Virgini de monte Carmelo sacra, ad quam scilicet, cum omnipotenti Deo placuit Nos immerentes ad beati Petri cathedram evehere, solemnia coronationis Nostræ distulimus, generalis supplicationis ritu ad basilicam S. Petri in Vaticano, ut moris est, procedentes, unacum omnibus prædictis, cæterisque romanæ curiæ, et nostræ aulæ prælatis, universoque clero sæculari, et regulari, et frequentissimo populo divinam opem invocantibus, auditis iterum per dilectum filium nostrum Carolum, tituli sancti Clementis, S.R.E. presbyterum Cardinalem Rezzonico nuncupatum, ejusdem S.R.E. camerarium, postulationum pro canonizatione impetranda procuratorem, enixis precibus, post sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces de more decantatas, ad laudem et gloriam sanctæ, et individuæ Trinitatis, ad fidei catholicæ exaltationem, et christianæ religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri, et Pauli ac nostra, et de præmissorum omnium venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu prædictum Seraphinum a monte Granario ab Asculo denominatum, laicum ordinis minorum Sancti Francisci capuccinorum nuncupat. expresse professum, de cujus vita pie sancteque traducta, et de virtutibus in gradu heroico, ac miraculis, ejus intercessione, a Domino patratis plenissime constabat et constat, sanctum esse definiendo pronunciavimus, et pro sancto ab omnibus habendum, atque colendum ediximus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnibusque christifidelibus, qui singulis annis die xii. Octobris vere pœnitentes et confessi ecclesiam conventus dicti ordinis in civitate Asculana, ubi ipsius Sancti corpus religiose asservatur, devote visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias debitis pœnitentiis eadem authoritate in perpetuum misericorditer relaxamus. Denique in obsequium omnipotentis Dei decantato laudis, et confessionis hymno, incruentam salutis nostræ hostiam ad altare confessionis beatissimi Petri in spiritu humilitatis obtulimus cum commemoratione ipsius sancti Seraphini, necnon sanctorum Joannis Cantii, Josephi Calasanctii a Matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, et Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, quos pariter sanctorum albo rite adscripsimus, omnibusque, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus.

Solemni ritu in Basilica BB. Apostolorum B. Seraphini Canonizationis decretum Pontifex evulgat, et approbat.

Ex quolibet personarum ordine Sanctos exoriri Divina providentia permittit.

§. 20 Quum autem gratias omnipotenti Deo egimus, quod inter cætera nobis, quamvis immerentibus, collata beneficia, illud etiam datum fuerit, ut beatum Seraphinum sanctorum numero adscriptum definiremus, gavisi pariter fuimus in Domino, eique benediximus, qui Ecclesiam suam perpetua defensione custodiens, manifeste ostendit e quolibet personarum ordine sanctos exoriri perfectionis eximiæ, eorumque præclaris exemplis subinde propositis christianæ fidei cultores admonet, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

Transumptorum fides.

§. 21. Quoniam vero post prolatam a Nobis, ut præfertur, hujusmodi Canonizationis, et adscriptionis sententiam ab eodem Carolo Cardinale, et procuratore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super præmissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras edere dignaremur; Nos justissimæ petitioni annuentes præsentium literarum tenore, atque ex certa scientia, et apostolicæ authoritatis Nostræ plenitudine omnia et singula præmissa, confirmamus, roboramus, atque iterum sancimus, ac decernimus, universæque Ecclesiæ denunciamus; mandantes, ut earumdem præ-

sentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ MDCCLXVII decimoseptimo kalendas Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




✠ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✠ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinæ card. Lantes.

✠ Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

✠ Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

✠ Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

✠ Ego J. F. episcopus Prænestin. card. Stuppanius.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. tit. S. Clementis Presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

✠

✠ Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.

✠

✠

✠ Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.

✠ Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.

✠ Ego P. H. tit. SSmæ Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.

✠ Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyter card. de Comitibus.

✠

✠ Ego Fr. L. basilicæ Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.

✠ Ego M. A. tit. Sanctæ Mariæ de Pace presbyter cardinalis Columna.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.

✠

✠ Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major pænitentiarius.

✠ Ego L. tit. S. Anastasiæ presbyter card. Calinus.

✠

✠ Ego A. tit. Sanctæ Mariæ in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.

✠

✠

✠ Ego P. tit. S. Mariæ Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.

✠

✠ Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.

✠ Ego A. Sanctæ Mariæ in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.

✠ Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.

✠ Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres diaconus card. Ursinus.
✠ Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card. Chisius.
✠ Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
✠
✠ Ego J. C. Sancti Cæsarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
✠ Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.
✠ Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
✠ Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
✠ Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
✠ Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala diaconus card. Canale.
✠ Ego B. Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
✠
✠
✠
✠
✠
✠

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

---

Dat. die 16. Augusti 1767. Ann. X.

## DCXVIII,

### Canonizatio Beati Josephi a Cupertino Ordinis minorum S. Francisci Conventualium.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus, amoris sui scilicet pignora, ac triumphalis suæ monumenta victoriæ. Id autem non modo tunc ostendit, quum ex hac terra discedens gloria et honore coronatus, utpote Rex virtutum in cœlum rediit, sed etiam per omnes deinceps ætates benignissime præstitit, atque ad consummationem usque sæculi, pro sua in homines perpetua charitate, ac munificentia præstabit: sed nimirum, si Dominus dives est in omnes, qui invocant illum, in electos utique quosdam servos suos, qui in simplicitate ambulant, atque in toto corde exquirunt eum, divitias sui erga illos amoris effundit: idque tum ut eos glorificet, qui glorificare ipsum unice student, tum ut per eos Ecclesia sua tamquam regina vestitu induta deaurato, ac tam multiplici cœlestium charismatum, ac donorum varietate circumamicta, facile a quovis cognosci possit, et magis magisque refulgeat.

Beati Josephi a Cupertino virtutes generatim, et merita laudantur.

§. 2. Hanc autem ipsam cœlestium charismatum mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem, si unquam in aliis, non possumus certe non admirari, ac suspicere in Beato Josepho a Cupertino ex ordine fratrum minorum Sancti Francisci conventualium nuncupatorum, quem superiori ætate bonorum omnium largitor Deus Ecclesiæ dedit, ut in eo disceremus non esse nos terræ hujus cives sed hospites, ac peregrinos, nostramque proinde in cœlis conversationem esse oportere. Hoc ille nempe quamdiu vixit, non tam verbis, quam re ipsa pulcherrime docuit, quum terram veluti dedignatus, frequentes, ac prope quotidianas extases patiens sublimis in aera ferretur, ac modo exultabundus celerrimo impetu circumvolans, choreas veluti duceret, modo alios quoque secum sublime raperet, suamque illam, quam induisse videbatur, gloriosam agilitatis dotem communicaret, ita prorsus, ut medius quidam viatores inter, et comprehensores homo esse haud immerito credi posset. Quod autem Beatus Josephus tam frequenter tam facile sublimis ascenderet, quid est, nisi quod descendebat in se demississima humilitate, qua sperni se ac despici, non modo ferebat æquo animo, sed etiam gaudebat? Quod vero, ubi erat impetus spiritus, eo et corpus expers veluti ponderis agillime sequeretur, quid est, nisi quod corpus ipsum inusitata quadam, ac propemodum nimia asperitate in servitutem redigere satagebat? Quæ quidem, atque alia id genus Beati Josephi sanctitatis documenta in ea, quam exhibemus, tametsi brevi narratione melius patebunt. Quocirca cum is, qui suscitat de pulvere egenum, Beatum Josephum tam eximiis in vita donis, ac virtutibus, tam præclaris post mortem signis, ac miraculis illustraverit, ut dubitari non possit, quin inter superos cum Deo regnet, cujus conversatio, cum inter mortales ageret, semper in cœlis fuit. Nos propterea, qui Christi vices, licet indigni, gerimus, habito prius diligenti virtutum, et miraculorum ejus examine, de consilio

venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, necnon accedente suffragio Patriarcharum, ac plurimorum Archiepiscoporum, et Episcoporum in romana curia congregatorum, et, quod potissimum est, implorato sæpius divini Spiritus auxilio, et lumine, eumdem Beatum Josephum candelabro imponimus, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, eique honorem, et cultum, qui sanctis cum Christo regnantibus exhibetur, tribuendum esse decernimus.

Oritur ex honestis parentibus initio sæculi XVII, et in juventutis exordio Religionem ingreditur.

§. 3. Sub initium sæculi a reparata salute XVII Cupertini, oppido in Salentinis Neritonensis Diœcesis, parentes humiles sortitus, ac pios, in stabulo, quo repentinus pavor matrem compulerat, editus in lucem fuit. A teneris usque annis pietatem coluit, defixis in cœlum oculis, et labris hiantibus inter orandum, quod quidem futuræ post in adulta ætate altissimæ contemplationis vel indicium esset, vel potius initium. A gravi morbo Deiparæ Virginis ope liberatus, ad Beati Francisci septa transire constituit. Repulsam passus a fratribus conventualibus, quos primum adierat, ab iis, quos Capuccinos vocant, exceptus est, sed acerbior deinde fuit ejectio. Nam post aliquot tyrocinii menses, tamquam ineptus ad instituti munia habitus ad suos redire coactus est. Dure acceptus a patruo, qui in conventualium ordine concionator erat, durius a matre religiosæ vitæ consilium non abjecit. Ad conventuales iterum confugiens tandem obtinuit, ut laicorum ministeriis addiceretur. Sed in novissimo loco libentissime recumbentem, jussit illum Dominus superius ascendere. Patribus enim, qui per triennium præclaram Josephi, et majora in dies pollicentem virtutem suspexerant, visum est illum referre inter clericos. Longo ipsi, atque improbo labore cum rudi, atque hebeti ingenio luctandum fuit, ut sacros libros, si minus intelligere, at legere saltem apte, ac distincte disceret. Post solemnia vota sacerdotio initiatus, divinæ hostiæ primitias obtulit eo Religionis intimo sensu, ut præsentem ibi Christi personam, non tam credere, quam cernere videretur, novumque sibi ex eo tempore perfectius vitæ genus ordiendum proponeret.

In primis paupertatem mirum in modum dilexit.

§. 4. Ergo in cœnobio de Cryptula, cui fuerat adscriptus, ita per decennium vixit, ut solitaria maxime loca adamaret, asperrime in corpus sæviret, et coram superiore sola contentus extima tunica, rebus omnibus abdicatis, et crucifixi pedes procumbens, vere illud usurpare posset: ecce Domine propter te omnia dimisi; tu modo sis mihi omne bonum. Sed tam rigidæ paupertatis pressus angustiis, ut consumpta jam veste novam sibi unde quæreret non videret; ad piam erga Deum fiduciam abjiciendam sollicitatus ab humanæ salutis hoste, nullius præterea cælestis solatii rore in animum defluente recreatus, ac nimio proinde mœrore confectus, per biennium in camino humiliationis, velut in fornace perstitit, et in humilitate sua patientiam habuit. Denique, cum conversus ad Deum in eas voces erumperet: Ut quid, Deus, dereliquisti me; Servum suum benignissimus Dominus mœrore et luctu confici passus non est. Itaque religiosus quidam ignotus (Angelo, ut opinio fuit, ea sub specie apparente, ac statim ex oculis subducente se) novam illi tunicam allatam mœrentem erexit, afflictumque recreavit.

Itemque poenitentiam, et erga Christi passionem, ejusque Matrem Beatissimam devotionem.

§. 5. Ad omnimodam rerum externarum abdicationem asperrimam corporis macerationem adjunxit. Cura illi major animum jejunio, quam cibo corpus reficere. Interdictis sibi, non carne modo, et lacticiniis, sed pane etiam, et vino per longum tempus, insipidis leguminibus, atque amarissimis herbis libenter vesci, quin etiam certos quosdam dies sine ullo prorsus cibo transigere, sola Eucharistiæ divina dape satis, abundeque refectus. Ad hæc ciliciis, catenis, laminis ferreis, flagris ita se laniabat, ut nudatum aliquando jussu præsidis ipsius corpus adspici sine horrore non posset; tam fœde lacerati artus erant, et sanie manantes. Versabatur nempe ei diu noctuque ante oculos, defixusque erat in animo penitus Christus Jesus, qui ad mortificationem ipsius in corpore suo circumferendam extimulabat: quæ itidem caussa fuit, cur complura variis in locis humanæ salutis signa statuenda curaret. Qua in re illud prorsus mirabile accidit, quod crucem quamdam immanis ponderis, quæ simul adhibitis multorum viribus dimoveri vix poterat, unus ipse prodigioso volatu facillime sustulit, atque ubi destinaverat, attonitis præ stupore, qui aderant, collocavit. Ejusmodi autem cum volatu extases ita crebræ, et mirabiles in eo fuere, ut patrum, et majorum nostrorum memoriam nemo fortasse facile inveniatur, qui earumdem vel frequentia, vel magnitudine Josephum æquiparet. In celebrioribus numeratur ea, cujus recol.

mem. Urbanus Papa VIII. prædecessor Noster spectator, et testis fuit; alia item in Nostra patriarchali basilica Assisiensi, cum depictam in fornice deiparæ Virginis Mariæ imaginem conspicatus, statim ad eam propius venerandam octodecim e terra palmis sublatus advolavit. Neque vero minus illustris illa, qua in sacello novitiorum festo die Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, quod ille mysterium eximie colebat, præsidem amplexus ac secum trahens in aera paullisper, et mox dimittens ipse altius ascendit, Mariam iterum iterumque pulchram inclamans. Huic volatui geminus est, qui accidit in conspectu ædis Lauretanæ, quam item ingredientium, et egredientium angelorum frequentia stipatam eminus vidit. Hæc autem, aliaque id genus, quum adeo crebra essent, ut sacris functionibus, sive in choro, sive in ecclesia officere viderentur, præsidibus visum fuit Josephum in abdita loca a conspectu, et consortio hominum segregare. Sed hæc, et similia, quæ longum nimis esset singula recensere, mirari fideles possunt, non assequi, atque imitari. Meliora igitur virtutum charismata Josephus exhibet ad æmulandum.

Inter ejus virtutes enituit præ cæteris obedientia.

§. 6. Ac primum quidem obedientiam, quæ cæteras omnes virtutes animo inserit, insertasque custodit. Hujus ille ita studiosus erat, ut ne in minima quidem re ab ejus præscripto discederet, solitus idcirco dicere, obedientiæ regendum se tradidisse veluti cæcum, quem catulus circumducit. Illud autem in hoc genere prorsus mirabile, quod, quum alienato a sensibus animo, sive clamores ederent, sive excuterent ipsum sive etiam adurerent, nihil quidquam sentiret, una præsidis vox, tametsi non audita, visionem abrumpens, statim eum ab extasi revocabat. Atque huic sane tam insigni obedientiæ tribuenda est perpetua Josephi tranquillitas, atque idem semper vultus, eademque frons tot inter, ac tantas vicissitudines, dum vel moderatorum ordinis, vel sacræ Inquisitionis jussu hac, illac errare, ac per triennium etiam ablegatus a suis apud fratres capuccinos versari cogitur. Quod quidem divino consilio factum esse non dubitamus, ut illius sanctitas et progressus in diem majores faceret, et plures ad exemplum testes, ac spectatores haberet.

Itemque humilitas, et castitas.

§. 7. Obedientiæ humilitas non impar extitit, qua fiebat, ut objurgationes, et probra æquissimo ferret animo et extases quandoquidem dissimulare non poterat, infirmitatis, torporis, somnolentiæ nomine obtegere conaretur. Paupertatem adamavit ita, ut perfectum in eo Francisci filium facile quivis posset agnoscere. Quocirca moriturus vere affirmare potuit, nihil apud sese, quod superiori resignaret, ac redderet inveniri. Paupertatem excipit patientia; multa enim indigna ab hominibus; multa diu a dæmonibus dura perpessus est, invictus semper, ac similis sui, pari constantia fuit in ariditatibus ac desolationibus, ut ajunt, spiritus perferendis. Castitatem vero, tametsi diuturnam per dæmones blandissima quæque objicientes pugna tentatam, integram semper, atque incontaminatam servavit. Hujus autem indicium erat non dubium, tum suavissimus odor, quem rebus etiam ab se contactis afflabat, tum horror quidam singularis obscæni flagitii, ut homines eo deturpatos dignosceret, atque ad abluendam, ut ipse loqui solebat, spurcam atramento faciem adhortaretur. Hoc vero tam egrægiæ castitatis donum, tametsi tribui magna ex parte possit severissimæ sensuum custodiæ, et corporis, cui numquam pepercit asperrimis per dies, noctesque macerationibus: Deiparæ tamen Mariæ Virginis, quam ille veluti matrem unice diligebat, atque ab aliis diligendam summo studio curabat, patrocinio, et clientelæ potissimum, acceptum referendum esse non dubitamus. Neque vero illud solum, sed cætera omnia dona, quæ Deus in ipsum tam larga congessit manu, a beatissimæ Virginis cultu repetenda esse ducebat. Itaque Maria in corde, Maria in ore semper illi erat.

Charitatem erga proximum mirum in modum coluit.

§. 8. Quum autem beatissima Virgo pulchræ dilectionis mater sit, et vocetur, Josephus non modo ipsam suavissime redamare, sed imitari etiam studebat in proximis diligendis. Erga ærumnosos misericors, erga ægros sedulus, erga periclitantes opitulator. Pro scelestis, atque improbis, quorum sæpissime occulta flagitia detegens paterne corripuit, corporis sui afflictationes, Deo quasi piacularem hostiam offerebat. Quin etiam eodem charitatis instinctu pro Hæreticorum conversione, non sine magna corporis afflictatione, Deum deprecatus, ex iis nonnullos ad catholicæ Ecclesiæ communionem revocavit. Comis præterea festivus, hilaris illud in ore habebat, charitate qui præditus sit, eum, tametsi nesciat, divitem esse. Qua quidem ipse adeo excellebat,

ut ex iis, quas affert Apostolus caritatis notas, nullam in ipso requireres. Atque id ipsum ferme dicere licet de iis quæ gratiæ gratis datæ vocantur, quasque divina liberalitas servis suis impertiri consuevit. Non illi prophetia defuit, non cordium perscrutatio, non curatio ægritudinum, non miraculorum facultas, non denique, quod magis mirandum fuit, sapientiæ donum, quo abditissima theologiæ dogmata homo plane rudis, ac pene idiota perspicue explicabat.

Virtutibus, et meritis onustus meritur anno 1663.

§. 9. Sed annum jam sexagesimum primum agenti Servo Dei tempus aderat, quo in Auximano cœnobio, quemadmodum ipse prædixerat, ab altissima quidem, sed abstractiva ad intuitivam Dei contemplationem evocaretur. Itaque correptus febri, quæ mensem, eoque amplius tenuit, quum quinta post die, quæ dies erat assumptæ in cœlum Virgini dicata, sacrum ultimum ad aram fecisset, editis subinde, præcipue quum mors in propinquo esset, præclaris patientiæ, humilitatis, pietatis, fidei, fiduciæ, charitatis actibus, divina eucharistia refectus, sacra unctione roboratus; per idemque tempus raptus, atque extases suavissimas passus, hilari animo, ridenti ore, vultu cœlesti luce perfuso, ad Deum, quem unice quæsierat, e corporis vinculis evolavit XVIII kalendas Octobris anno salutis MDCLXIII.

Refertur series actorum, quæ fuere pro illius Beatificationis fundamento.

§. 10. Statim vero, nec dum tumulato corpore, ac multo magis processu temporis supernaturalibus signis Deus Servi sui gloriam testatam facere cœpit. Quæ caussa fuit, cur biennio post de Josepho beatis adnumerando ageretur. Quocirca tribus ob eam rem per episcopos Neritonensem, Assisiatem, Auximanum confectis processibus, quibus alter accessit ex authoritate apostolica; eorumdem sinceritate, atque integritate perspecta prædecessor Noster Innocentius XI. ven. mem., qui Josephi adhuc inter mortales agentis sanctimoniam exploraverat, beatificationis illius caussam sacrorum rituum cœtui commisit. Satis longo post intervallo, tribus, quæ præire solent, habitis in eadem congregatione comitiis, quibus tum virtutum excellentia, tum miraculorum veritas ad exactam trutinam revocaretur; tandem Clemens XII. die XV. mensis Augusti anno MDCCXXXV. declaravit constare de servi Dei virtutibus in gradu heroico. Quod vero ad miracula pertinet, prædecessor etiam Noster Benedictus XIV. duo præ cæteris insignia decreto suo comprobavit die IV. Octobris MDCCLII. Primum autem ex iis editum fuit in puero duodenni Stephano de Matthæis, qui ex ictu lapidis vulnerata, ac discissa dexteri oculi pupilla; unde factum erat, ut exhaustis humoribus, oculique proinde orbita introrsus depressa, videndi facultatem amitteret; quum ad beatum Josephum confugens, sepulchro ejus læsi luminis palpebram admovisset, ipsissimo temporis puncto oculum integrum, venustum, atque ad visum aptissimum recuperavit. Alterum vero patratum fuit in Victorio de Matthæis parente pueri, de quo dictum est. Hic enim, quum per annos ferme sex alterum genu ex humorum, qui obduraverant, confluxu enormiter intumuisset, ut ingredi, procumbere in genu, nonnisi ægre admodum posset, quam humanitus desperatam numquam tentaverat, in beati Josephi ope, ac præsidio sanitatem invenit. Vix namque affecto genu connixus est in suppedaneo altaris, Josephi adhuc ex longo ibi precandi usu vestigia præferente, quum tumore omni sublato, statim incolume, atque expeditum ad motum genu persensit. Itaque idem Benedictus peculiares ob caussas compendiariam insistens viam, literas apostolicas beatificationis expediri jussit sub die XX. Februarii anni MDCCLIII, quibus publicatis in basilica Vaticana, solemnes beatificationis ejusdem cæremoniæ peractæ sunt.

Beatificatione expleta, novisque superventis miraculis, illico pro Beati Canonizatione agi coeptum est.

§. 11. Cùm Josepho esset indulta veneratio, omnipotens Dominus per nova signa de augendo servi sui cultu manifestam suam ostendere dignatus est voluntatem. Propterеaque alii tres processus apostolica authoritate super novis miraculis constructi fuere: iisque congregationis sacris ritibus præpositæ judicio exhibitis: postquam et processuum validitas, et miraculorum veritas in congregationibus antepræparatoria die XVIII. Septembris MDCCLXIV, et præparatoria die X. Decem. MDCCLXV. perquam diligenter expensa fuit; generalem coram Nobis congregationem die XXIII Septembris anni proxime præteriti coegimus, in qua venerabilem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum consultorum suffragia excepimus. Sed, ut maturius hac de re deliberaremus, ac Nostris, et aliorum precibus divinum a patre luminum auxilium imploraremus die XII Octobris proxime præteriti de tribus sequentibus miraculis per intercessionem beati Josephi a Deo patratis con-

stare decretum edi, atque in acta referri jussimus.

Refertur primum miraculum insigne.

§. 12. Primum miraculum compertum est in Maria Magdalena Panzironi die XXXI Octobris MDCCLIII scyrrosus tumor in ore stomachi prægrandis, ac durus pene instar lapidis eo miseram adduxerat, ut motu, colore, pulsus, loquela sensim deficientibus, desperata a medicis valetudine justa illi funebria pararentur. Sed implorata, prout in illo pene ultimo agone potuit, beati Josephi ope, hujusque et reliquia digitis puellæ inserta, et imagine mortifero tumori admota, statim convaluit, ac vespera ipsa, qua id contigerat, nullo alterius adminiculo surrexit e lectulo, ac cætera, quæ sani, ac vegeti solent, munia obivit.

Itemque secundum.

§. 13. Altera naturæ vires exsuperans sanatio contigit in cælibe fæmina Benedicta Pierangelini die XVIII Januarii anno MDCCLVI. Quum enim duæ polyposæ moles vasis cordis adhærentes præpedito liberiore sanguinis cursu, per sexdecim annos male illam habuissent, ut creberrima egeret phlebotomia, atque in præfocationis, et mortis dircrimine identidem versaretur; ad extremum, morbo per dies quindecim ingravescente cum lethalibus paroximis, sacris, quæ morituros ad felicem exitum juvant, mysteriis munienda fuit. Sub hæc nihilominus in spem erecta beatum Josephum animo invocans, præsentissimum ejus auxilium experta est. Applicata enim pectori sacra illius reliquia gravissimo quidem paroxismo corripitur, sed tamen hunc ægra ad valetudinem evasurum interius quodammodo persentiscere videbatur. Tum a chirurgo consueta sanguinis missione facta, quam abnuente medico Benedicta petierat, ex incisa vena, quam salvatellam vocant, polyposæ illæ duæ carnosæ substantiæ moles mirifice prodeuntes, multiplici supernæ virtutis miraculo, sanam illam, ac sospitem momento temporis reliquerunt.

Tandem, et tertium.

§. 14. Miraculo tertio (quod supra numerum vocant) sanitate instantanee donatus est Bernardinus Senogaliese mulio. Huic herpes in ulcus evaserat sævissimo quodam humore manans, qui et carnes scinderet, et pannos ipsos eroderet. Tum ab inguine ulcus ad genu perductum, gradiendi facultate intercepta, dolores præterea ciebat maximos, ut nullam quietis partem capere liceret. In tanto discrimine, quum pia illius uxor ad beati Josephi opem enixe implorandam in ecclesiam se contulisset, ut mariti in doloris lecto decumbentis precibus et suas adderet; inter hæc beatus ipse Josephus coram ægro se sistit, atque illum ad recitandas secum beatissimæ Mariæ Virginis litanias adhortatur. Josepho igitur præeunte, respondente ægro ad singulas salutationes, ubi ad eam deventum est, qua Deipara salus infirmorum vocatur, repente simul cum visione morbus omnis abscessit. Bernardinus e lecto prosiliens expedito gradu pergit ad templum, impensas liberatori suò gratias acturus, et postera die suo mulionis ministerio se reddit valens, ac vigens.

Ex adprobatione miraculorum, Canonizatio servi Dei a S. Rituum congregatione probata.

§. 15. Approbatione miraculorum sequuta, aliam congregationem itidem generalem die XXVII Januarii proxime elapsi coram Nobis indiximus, ejusque exquisivimus consilium, an more, institutoque laudabili ipsius congregationis, et juxta opportunas prædecessorum nostrorum constitutiones tuto ad beati Josephi canonizationem procedi posset: Patres omnes in ea suffragium ferentes unanimi sensu, et validis rationum momentis omnia, quæ in hujusmodi caussa desiderari possunt, satis abundeque suppetere sunt arbitrati. Verum Nos ab ea die divinum nostris, et aliorum precibus implorantes lumen, die festo purificationis beatæ Mariæ Virginis decretum, quod ad solemnem beati Josephi canonizationem procedi posset, edidimus.

Ad preces christianorum principum, et ecclesiarum præsulum actum de Canonizatione ipsa tum publico, tum secreto consistorio.

§. 16. Quoniam autem alias aliqui christiani principes, et præsules ecclesiarum B. Josephi canonizationem peroptantes communibus votis, et postulationibus apud prædecessores Nostros, et Nos institerant, et præclarus ordo fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupatorum assidue aliorum postulationibus, et suas demisissimas adjungere, non desinebat, ut tandem supremam sententiam ferremus. Nos idcirco compendium vitæ, virtutum, et miraculorum beati Viri, ex iis, quæ sacrorum rituum congregatio prævio severo examine admisit, complectens, typisque vulgatum singulis venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus distribui curavimus, ac subinde die XXVII mensis Aprilis proxime præteriti secretum indiximus consistorium, in quo iisdem S. R. E. Cardinalibus summa virtutum, et miraculorum beati Josephi exposita, eorum consilium exquisivimus, an ad solemnem hujus admirabilis Viri canonizationem esset procedendum. Cumque li-

bentissime eorumdem Cardinalium animi sensus audivissemus oretenus affirmantium, id ipsis placere: ut adhuc in hac re maturius procederemus, venerabiles etiam fratres nostros Archiepiscopos, et Episcopos in Italia degentes de hoc consilio certiores fieri curavimus, eosque hortati fuimus, ut ad Urbem accederent, Nobisque in re tanti momenti adessent: eos quoque per idem compendium typis vulgatum de caussæ totius serie, atque virtutibus, et miraculis beati Josephi ad plenum edoceri curavimus, et publico coram nobis die VII nuper elapsi mensis Maii, habito consistorio, cui præter S. R. E. Cardinales, Patriarchæ quoque, Archiepiscopi, et episcopi in urbe congregati interfuere, in illo de mandato nostro dilectus filius Philippus Durani consistorialis aulæ nostræ advocatus dilucida oratione integram caussam exposuit. Hisce itaque præmissis, aliud die XV mensis Junii subsequentis coegimus consistorium, in quo præter eosdem S.R.E. Cardinales, et Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, etiam Nostros, et sedis apostolicæ notarios, prothonotarios nuncupatos, ac duos seniores ex caussarum palatii nostri apostolici auditoribus adstare mandavimus. In eo siquidem Nos ipsi verba fecimus, omnesque rogavimus, ut sensum suum aperirent, an sancti cultus, et honos B. Josepho jure ac merito a nobis decerni posset. Cumque universi summa consensione B. Josephi canonizationem probarent, et singuli benedicentes Domino beatum Josephum inter sanctos numerandum esse responderent, Nos prolatorum suffragiorum exempla a singulis subscripta colligi, et in tabularium S. R. E. inferri, atque ab apostolicæ sedis notariis publicum ea de re instrumentum confici mandavimus.

Publicæ preces indictæ ad implorandum divinum auxilium.

§. 17. Publicas deinde orationes, et dies generalis jejunii per Urbem indiximus, et tres patriarchales basilicas designavimus, in quibus sanctissimum Christi corpus publicæ venerationi per triduum exponi jussimus, omnes christifideles hortando, ut omnipotentem Dominum Nobiscum precantes spiritum sapientiæ, et intellectus nobis impertiretur, quo duce quid ei placitum esset dignosceremus.

Tandem solemni Ritu in BB. Apostolorum basilica Pontifex decretum Canonizationis evulgat, et approbat.

§. 18. Hisce omnibus rite absolutis, quæ ex sacris constitutionibus, romanæque Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hac die demum beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo nuncupatæ dicata, qua a felicis recordationis Gregorio papa IX etiam prædecessore Nostro beatum Franciscum ejusdem ordinis minorum fundatorem, sanctorum canoni adscriptum fuisse perhibetur, et qua decimus inchoatur annus a peracta coronatione Nostra; in basilica principis apostolorum splendide, ac magnifice ornata, ad quam servata supplicationis publicæ forma Nos præcesserunt omnes cleri sæcularis, et regularis ordines, et ministrorum romanæ curiæ collegia, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis; priusquam immaculatam hostiam solemni novæ legis sacrificio omnipotenti Deo offerremus, instante iterum iterumque dilecto filio Nostro Carolo tituli sancti Clementi S. R. E. presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato, ejusdem S. R. E. camerario, ad canonizationem impetrandam procuratore constituto, decantatis sacris Ecclesiæ precibus, ut Deiparæ virginis, angelorum, et sanctorum omnium cum Christo regnantium intercessione divinam opem imploraremus, ac paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adesset, invocato; ad honorem sanctæ, et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ, et christianæ religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri, et Pauli, et apostolicæ authoritatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcarum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, et assensu ipsum beatum Josephum a Cupertino sacerdotem ordinis fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupatorum expresse professum, unacum beatis Joanne Cantio, Josepho Calasanctio a Matre Dei, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a Monte Granario, ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal, sanctum esse decrevimus, definivimus, ac sanctorum cathalogo adscripsimus, illumque ab universis christifidelibus, tamquam vere sanctum, religioso cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore præsentium definimus, decernimus, et declaramus: statuentes, et concedentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem ecclesiæ, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari, et consecrari, et singulis annis die a Benedicto prædecessore præfato in literis illius beatificationis præscripto, nempe decima octava Septembris ipsius sancti Josephi a Cupertino inter

sanctos confessores ab Ecclesia memoria recoli possit. Eademque authoritate omnibus christifidelibus, qui eadem die annis singulis ad sepulchrum, in quo corpus ejusdem sancti Josephi requiescit, visitandum accesserint, perpetuo septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Indulgentiæ elargitæ Canonizationis die.

§. 19 Sub hæc æternum Patrem, regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni filium, et sanctum paraclytum Spiritum, unum Deum ac Dominum, cum debita gratiarum actione venerari, omnibusque christifidelibus ibi præsentibus plenariam peccatorum remissionem, et indulgentiam concessam; supra beati Petri confessionem sacrosanctum missæ sacrificium solemniter celebravimus, facta eorumdem Sanctorum speciali commemoratione.

Novum Ecclesiæ Dei ornamentum præbet S. Josephus a Cupertino.

§. 20. Laudum igitur, et gratiarum debita omnipotenti Deo præconia referamus, qui novis semper Ecclesiam suam et exemplis instruit, et decorat ornamentis; ita quidem ut in beatum Josephum intuentes, videant hæretici, et resipiscant, vel fracti pudore contabescant, dum Religionis orthodoxæ tam perspicuas notas agnoscunt. Videant præcipue catholici, et imitari studeant quod celebrare delectat: quod si sancti Josephi raptus, atque extases assequi in nostra non est potestate, sed in Dei imperscrutabili voluntate, qui dividit singulis, prout vult; illud tamen profecto conari et possumus, et debemus, ut avulso a terrenis animo, corpore quidem peregrini simus, atque advenæ, spiritu vero cives sanctorum, et domestici Dei. Flagrantissimus illius erga Deum amor vim suam vel in corpus exeruit, perinde quasi in antecessum agilitatis dotem induisset. Nobis illud satis sit, ut per pias, et crebras divinarum rerum meditationes mens expedita, atque alacris ad cœlum assurgat.

Transumptorum fides

§. 21. Quoniam vero, hisce omnibus de more peractis, idem Carolus Cardinalis, et procurator designatus, a Nobis, quo par erat obsequio, postulavit, ut apostolicas Nostras literas in gestorum omnium perenne monumentum decerneremus; Nos petitioni perquam libenter annuentes, pæsentes Nostras literas edi, et palam fieri demandavimus statuentes earumdem exemplis etiam impressis, ab aliquo ex notariis publicis subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eamdem prorsus fidem ab omnibus adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati statuti, concessionis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. XVII. kalendas Augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




✠ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✠ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinæ card. Lantes.

✠ Ego J. F. episcopus Sabinen. card Albani.

✠ Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

✠ Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

✠ Ego J. F. episcopus Prænestin. card. Stuppanius.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠
✠
✠
✠ Ego C. tit. S. Clementis Presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.
✠
✠ Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.
✠
✠
✠ Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.
✠ Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.
✠ Ego P. H. tit. SSmæ Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.
✠ Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyter card. de Comitibus.
✠
✠ Ego Fr. L. basilicæ Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.
✠ Ego M. A. tit. Sanctæ Mariæ de Pace presbyter cardinalis Columna.
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
✠
✠ Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major pænitentiarius.
✠ Ego L. tit. S. Anastasiæ presbyter card. Calinus.
✠
✠ Ego A. tit. Sanctæ Mariæ in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.
✠
✠
✠ Ego P. tit. S. Mariæ Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.
✠
✠ Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.
✠ Ego A. Sanctæ Mariæ in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.
✠ Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.
✠ Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres diaconus card. Ursinus.
✠ Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card. Chisius.
✠ Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
✠
✠ Ego J. C. Sancti Cæsarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
✠ Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.
✠ Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
✠ Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
✠ Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
✠ Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala diaconus card. Canale.
✠ Ego B. Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
✠
✠
✠
✠
✠
✠

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

---

## DCXIX,

Dat. die 16 Augusti 1767. Anno X.

Canonizatio B. Josephi Calasanctii fundatoris Clericorum regularium scholarum piarum.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Admirabilis sane omnipotentis Dei providentia, tum in constituenda, tum in sarta tectaque servanda Ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, jam inde ab ejus primordio ad hanc usque diem illustribus, et præclarissimis, ut ab omnibus facile conspici possent, sese prodidit argumentis. Per omnes enim ætates benignissimus Deus homines in ea sanctissimos excitavit, qui studio alienæ salutis incensi juvandis quoquomodo fidelibus adlaborarent. Quum autem cujus libet ætatis homines sanctorum virorum studio atque opera indigeant, ne ignorantiæ tenebria obcæcati meliora non videant, vel etiam si videant, a concupiscentia sua abstracti, et illecti de-

teriora sequantur; tenera profecto et puerilis etas singularem quamdam et præcipuam curam requirit, ne sibi relicta atque inculta, voluptatum lenocinio paulatim ad vitia defluat, sensus quippe et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quapropter tametsi Christus Dominus omnes promiscue ad se accedentes humanissime exciperet, pueros tamen eximio quodam amore complectens, sinite, inquit, parvulos venire ad me. Novissime vero cum rediturus ad Patrem beato Apostolo Petro, quem Vicarium in terris suum constituerat, Ecclesiam sibi carissimam regendam, et pascendam committeret, oves quidem, per quas adulti intelliguntur, non amplius quam semel, agnos vero, quibus pueri designantur, semel atque iterum commendavit.

Generaliter efferuntur laudes hujus Beati.

§. 2. Itaque quum B. Joseph Calasanctius a Matre Dei, genere, doctrina, virtute præstans, secum animo reputaret in optima puerorum institutione spem reipublicæ christianæ certissimam positam esse, et pueros videret, inopes præsertim, atque infimæ sortis, propterea quod idoneam, et singulari disciplinam carerent, velut agnos sine pastore hac illac errabundos, et vagos facile ad vitia deflectere, pro eo, quo flagrabat, alienæ salutis studio hanc sibi, despicabilem forte apud homines, apud Deum vero gloriosam provinciam deposcens, ad eosdem, a teneris usque annis literis ac pietate informandos animum appulit. Et primo quidem suam, atque aliorum ab se conductorum operam usus est ad id muneris, in quo nimirum charitas simul, atque humilitas mutuam sibi operam dabant. At processu temporis reputans pium istud opus defuncto sibi superstes esse non posse; novum in Ecclesia Dei regularem ordinem excogitavit, sapienter, et per summam patientiam instituit, cujus labore atque industria, quod sancte ipse et utiliter inchoasset, in omne deinceps tempus maneret. Quot autem quantosque labores exhauserit, ut cogitata perficeret, quam constanti animo aspera quæque toleraverit, quam præclara denique virtutum omnium, cunctis quidem fidelibus, sed suis potissimum filiis monumenta reliquerit, dici vix potest. Quapropter quum bonorum operum author idem, et largissimus remunerator Deus, qui Beatum hunc servum suum tot, et tam præclaris virtutibus decoravit, easdem subinde, editis per ipsius servi sui invocationem miraculis ostendere, et palam facere dignatus fuerit, nos idcirco virtutum, et miraculorum examine habito perquam diligenti, in consilium adscitis venerabilibus fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, auditis etiam Patriarchis, et pluribus Archiepiscopis et Episcopis in Urbe congregatis, ac divino Spiritu humiliter invocato, eumdem B. Josephum Sanctorum numero adscribimus, atque eo, qui domesticos Dei decet, in cœlesti curia honore et cultu prosequendum esse statuimus et declaramus.

Referuntur illius natalis, patria, virtutesque enunciantur quas ab adolescentia coluit.

§. 3. Beatus igitur hic servus Dei Peraltæ Salis Aragoniæ oppido non incelebri, anno a reparata salute MDLVI. parentibus natus est antiqua nobilitate clarissimis. Jam inde a teneris annis suavitate morum, lenitate, patientia, precandi studio, cultu Deiparæ singulari, qualis futurus esset haud obscure indicavit. Grandiuscula mox ætate pueros munusculis ad sese alliciens, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, ad Dei cultum hortari solebat, ut proinde Sancti apud omnes nomen et famam adeptus, instituendo ab se ordini proludere quodammodo videretur. Humaniorum artium doctrinam satis jam excultus ad præstantiores jurisprudentiæ, ac theologiæ facultates animum appulit, atque in iis quidem nulli secundus; innocentia vero, castimonia, integritate morum supra cæteros eminebat. Quod enim tempus plerique adolescentum ludis atque otio, religionis ille ac pietatis officiis impertiebat. Solitudinis studiosus continebat se domi, nisi vel ad templum pietas (quod frequens erat), vel necessitudo studiorumque communio ad æqualium quandoque consuetudinem, et colloquium vocaret. Neque vere in illo aut modestiæ comitas, aut comitati modestia officiebat. Largissima erat in eo erga inopes, atque egenos misericordia. Ardor animi erga res divinas præsertim cum ad sacra mysteria, uti crebro solebat, accederet, ita ex vultu ipso atque ore emicabat, ut in admirationem sui oculos intuentium raperet. Pudor autem prorsus in eo singularis, ut vel in tenera adhuc ætate, morbo licet urgente, nemini umquam, ne matri quidem corpusculi ipsius partem ullam adspicere nudam licuerit.

Studiosæ juventuti præficitur, eisque angelicæ virtutis exempla præbet.

§. 4. Ilerdæ non aliam utique, quam eximiæ suæ commendatione virtutis, cunctis quum magistrorum, tum condiscipulorum suffragiis universæ studiosæ juventuti præfectus, ac princeps

renunciatus, ejusmodi honore, ac munere sic functus est, ut qua voce, qua exemplo (quod quidem suavissimum, idemque efficacissimum monendi genus est) segnes ad studia, dissidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem industriæ suæ fructum tulit, quem maxime optarat. Alia enim jam facies extitit juventutis in scholis, in templis, in nosocomiis, ut propterea qui tam præclare meritum de scholis, Josephum susciperent, eumdem veluti delapsum e cœlo angelum venerarentur.

Mira beati castitas, et illius perpetuo servandæ votum.

§. 5. Itaque coram eo nemo erat, qui impudenter dicere aliquid, vel indecore facere auderet. Tam spectatam virtutem, ac præsertim animi castimoniam teterrimus humani generis hostis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandam usus est impudentiam nobilis cujusdam fœminæ, quam Josephus veterem suæ cum familia illius necessitudinem retinens, invisere subinde consueverat. Sed castissimus juvenis blandientis fœminæ illecebras tanta animi exhorrescentis constantia elusit, ac respuit, ut non satis haberet, quod e domo illa, tamquam ex infami scopulo sese proripuisset; nisi etiam ex urbe ipsa, uti præstitit, alio demigraret, ut alterius magis, vel famæ, vel pudicitiæ, quam castimoniæ suæ periculum declinaret. Post gratias igitur impense actas Deiparæ cujus tam præsentem in eo discrimine opem expertus erat, instaurato etiam virginitatis voto, statim Complutum profectus est, ubi novum innoxio quamtumvis corpori ciliciis, inedia, vigiliis bellum indixit.

Sacris ordinibus insignitus, mira christiana charitate, ad proximi utilitatem laboravit, deindeque ad Urbem venit.

§. 6. Peracto denique studiorum curriculo, lauream donatus, tametsi nondum sacris majoribus initiatus ab Episcopo Jaccæ socius laborum adscitus est, non sine magna diœcesis utilitate. Jamvero mortuo fratre sine liberis, a parente in spem familiæ destinatus ad nuptias, morbo interveniente periculoso atque ancipiti, ab iis sese expedivit. Quum enim ad mortem decumberet, in eo temporis articulo facile a parente Josephus obtinuit, ut, si convalesceret, cœlibem agere vitam liceret. Itaque præter omnem opinionem recuperata valetudine sacrorum ordinum susceptione ut primum potuit, totum se Deo mancipavit. Neque vero diu licuit Josepho sibi uni vacare. Cognita enim illius pietas, sapientia, integritas fecit ut a pluribus episcopis in pastoralis sollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit, præsertim in Urgellensi diœcesi, quum commissum sibi peculiaris asperrimorum locorum visitationis munus expleret. Multa sibi relata in melius, multa provisa prudenter, magnis propterea exhaustis laboribus, atque adeo non semel adito vitæ periculo. Barcinonem deinde regia missus authoritate scissam in factiones duas civitatem, atque in mutuas mox cædes fædissime ruituram (quod optare magis, quam sperare cives possent) ad concordiam et pacem consilio, et fusis ad Deum precibus revocavit. Charitatis hoc et prudentiæ, illud animi demissionis fuit, quod, ut paratos sibi honores defugeret, oculis, atque aspectui plaudentium sibi civium sese subducens, Urgellam statim reversus est, a qua tamen majus quoddam humilitati suæ instare ab rege periculum suspicatus, ob rem tantam jam pervulgatam, haud ita multo post proficiscens ætatis suæ anno secundo supra trigesimum Romam, quo divinitus vocabatur, se contulit.

Honores quamplurimos ei in Urbe oblatos respuit, de unis tantum charitatis officiis sollicitus.

§. 7. Vitam in Urbe Josephus absconditam cogitabat: sed a Cardinali Columna, qui præstantiam illius ab Episcopo Urgellensi cognoverat, in aulam suam adscitus est, ut sibi theologus a studiis, ac fratris filio præterea optimæ spei adolescentulo morum magister esset. Verum non is erat Josephus, qui aulæ honoribus caperetur, cum non semel dignitates amplissimas repudiaverit. Illud enim sibi proposuerat jamdudum ut Deo maxime, et proximorum saluti inserviret. Itaque, ut ampla laborum, et meritorum seges suppeteret, quinque se celeberrimis Romæ sodalitatibus adscribi voluit, earumque sanctissimas leges sublevandis pauperibus invisendis ægris, erudiendis agrestibus, ac plebeiis tam sedulo, ac naviter observabat, ut incenso suo studio cæteros omnes ad eadem charitatis officia inflammaret. Grassante per Urbem lue, hic enim vero, si umquam antea, quid christiana charitas possit, maxime ostendit. Nullum enim ab eo erga ægros, et pauperes officium defuit. Qua quidem in re misericordiæ, atque humilitatis assidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus vir, onustum cibariis, ac pharmacis asellum per vias agere, et cum sancto Camillo de Lellis, cui se socium addiderat; ad egentium, atque ægrotantium domos deferre nequaquam erubescebat. Neque vero cum juvandis proximis tantum temporis impertiret; spatium illi deerat ad ea, quæ cultus Dei

sunt, obeunda. Etenim ut præter cætera, quæ sibi proposuerat, Religionis officia, septem Urbis ecclesias, quod a multis jam annis solemne habebat, inviseret, e nocturna quiete partem sibi maximam detrahebat.

Institutum fundavit ad erudiendos pauperes pueros, quod late diffusum vidit adhus vivens.

§. 8. Sed majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, sed ad christianam rempublicam pertineret, Josephus aggressus est. Quum enim vir æternæ proximorum salutis maxime studiosus videret pueros, præsertim infimæ sortis necessaria instructione carere; qua ex re cum inscitia passim vitia inolescerent, primo quidem sumptu suo magistros quæsivit, qui pueros, præeunte ipso, ac pauperrimos sibi deposcente, primis literarum, ac christianæ doctrinæ elementis imbuerent. Sed quum id ad tempus dumtaxat, et paucis profuturum intelligeret, novum quoddam institutum meditatus est, cujus opera assidua illa charitatis in edocendis adolescentibus exercitatio perpetua maneret: quod quidem institutum, cum peculiarem potissimum profiteatur curam circa puerorum eruditionem, adeo ab omnibus commendari, et expeti cœpit, ut ipse Joseph adhuc vivens in septem provincias late per orbem diffusas, benedicente domino, propagatum conspexerit.

Summa patientia persequutiones pertulit, et de illis triumphavit.

§. 9. Sed quam multas, quam acerbas ob eam rem a domesticis ipsis, nedum ab aliis injurias, calumniasque pertulerit, haud facile dictu est. Illud sit instar omnium quod felicis recordationis Benedictus XIV. prædecessor Noster, ut perhibent, aspera quæque atque indigna, quæ servo Dei ad extremam usque ætatem subeunda fuerunt, animo reputans; Josephum Jobum alterum appellare non dubitavit. Hujusmodi autem incredibilis patientia, atque animi æquitas tunc maxime enituit, cum ex infanda calumniatoris nequissimi delatione comprehensus, ac tota spectante Urbe, satellitum manu stipatus, ad carceres perductus fuit, ut hominibus quidem ludibrio, angelis vero admirationi esset et gaudio. Etenim mitissimo atque humillimo viro, qui statim compertus innocens, ut impactæ calumniæ labes abstergeretur, summo cum honore cunctis plaudentibus domum reductus est, expetendum id magis visum fuit, quam dolendum. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod vineam ab se tanto labore, ac studio plantatam, quæque palmites suos longe lateque extenderat, dissipatam jam, atque a singulari fero pene exterminatam conspexit.

Quam beati patientiam insignia multa prodigia choronarunt.

§. 10. Attamen in his etiam rerum asperitatibus ne vestigium quidem de gradu constantiæ dejectus, ostendit quam vere scriptum sit: Justum non contristare quidquid acciderit. Contumeliis enim et conviciis lacessitus impudentissimis, ita se gerebat, ut iis delectari videretur. Obtrectatoribus suis, quos coercere facile potuisset, non aliam rependit vicem, quam quæ a Christo præscripta est, ut bene scilicet precaretur iis, quibus injuriam acceperat. Sed et Deus ipsi tam admirabili patientiæ cœlestem aliquam vel in terris mercedem rependit. Deiparam enim cum puero Jesu videre meruit sibi, et commissis suæ disciplinæ adolescentulis benedicentem. Illius modo vultus inter orandum modo corpus totum, dum sacris operatur, cœlesti lumine circumfusum, atque e terra sublime conspectum est. Illum in cubiculo preces fundentem beatissima Virgo adspectu, alloquioque suo recreavit. Dono præterea prophetiæ non caruit, qua vel futura prædiceret, vel arcana cordium penetraret. Absentibus invocatus præsto erat. Filiis suis pariter longo licet intervallo disjunctis aderat, ut vel moneret, siquid forte deliquissent, vel parantibus ad eum scribere in ipso articulo temporis responderet. Ejus item contactus ægrotantibus salutaris erat, præsentia dœmonibus formidolosa.

Extremam diem vidit multis præeuntibus prodigiis.

§. 11. Sed jam suprema dies aderat, qua Josephus ejusdem præscius, post labores tam multos, post tam longas ærumnas sempiterna quiete ac beatitudine potiretur. Itaque correptus morbo, quem medici levem, et ultimum ipse affirmabat, christianarum virtutum, earumque maxime, quæ id tempus posceret, in occursum domini parare se impense studebat. Morbi autem vim non patientia modo ipsius, atque animi æquitas, sed etiam beatissimæ Virginis, aliorumque cœlitum visiones suavissimæ leniebant. Inter eas porro illa utique jucundissima, qua eadem Dei Mater sese illi conspiciendam dedit, complurium, qui religiosæ illius disciplinæ alumni fuerant numero comitata. Alia præterea visione servum suum Deipara cum sanctissimo filio suo recreavit, pollicita insuper fore ut ordo ab ipso institutus, de quo sollicitus erat, ne forte interiret, protegente se reflouresceret. Quod quidem, cum ad erigendos in spem suos magnopere pertineret, existimavit se salva modestia posse id eisdem palam facere, atque adeo debere. Sanctissimo deinde corporis Christi viatico roboratus quatuor e suis alumnis

in Vaticanum mittendos duxit: duos quidem qui sancti apostolorum Principis æneam statuam venerati pium illius pedibus osculum darent, ceu testem catholicæ romanæ fidei, in qua emori, uti vixerat, Josephus optabat: alios vero duos, qui a summo Pontifice Christi vicario plenam culpæ omnis, ac pœnæ remissionem, ipsius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum unctione munitus, lacrymas inter, ac preces suorum, sublatis ad cœlum oculis, et pendentis e cruce Christi imaginem osculatus, post invocationem suavissimi Jesu nominis ter iteratam, sui compos, et sensibus valens, pacatissimum conditori suo spiritum reddidit, octavo kalendas Septembris anni domini MDCXLVIII. Illud autem sane admirabile, quod e tam cari parentis obitu non mæror, ut assolet, sed inusitata quædam lætitia filiorum ipsius animos repente occupavit, manantibus jam præ gaudio lacrymis, quas antea dolor expresserat. Defuncti corpus majestatem quamdam præseferens rapiebat oculos, suavemque, ac cælestem utique odorem efflabat. Jamvero virginalis illius eximii pudoris etiamsi alia nulla, dum inter mortales ageret, indicia extarent, illud unum satis abundeque foret, quod mortuus edidit plane admirandum. Quum enim cadaver, detracto ut ablui posset indusio, nudatum esset, manus illius dextera, nullo alterius impulsu, statim partes eas cooperuit, quas verecundia conspicere vetat: atque ut evidentius adhuc tam singulare pudoris studium appareret, dimota per eos, qui aderant, mortui dextera, sinistra pariter nemine impellente ad partes eas obtegendas dexteræ vicem supplevit.

*Beati miraculorum præscriptio indicitur, et processus acta incoatur.*

§. 12. Jamvero cum servi Dei corpus ad sacram ædem sancti Pantaleonis afferetur, quadriennis puer en sanctus inclamavit, ore lactenti, en sanctus advenit. Magnus deinde concursus totius ferme Urbis ad funus illius celebrandum, præsertim post miracula, quæ complura statim patrari per invocationem servi Dei cæpta sunt. Quæ cum ad aures felicis recordationis Innocentii Papæ X. prædecessoris Nostri pervenissent, tum ipsius, tum Cardinalis in Urbe, ejusque districtu vicarii nomine religiosis ipsius filiis, qui spectatores, ac testes extiterant, demandata cura est, ut ea fideliter, atque accurate perscriberentur, ad eorum deinde, quorum interest, examen debitum revocanda. Quum autem novis in dies miraculis servi Dei sanctitas coruscaret, ejusque fama increbesceret, Cardinalis primum in Urbe vicarii, apostolica deinde auctoritate cœptum est agi de virtutum illius excellentia. Quæ quidem cum in congregatione S.R.E. Cardinalium sacris ritibus præposita, communi patrum judicio ad heroicum gradum pertigisse constaret, sanctæ memoriæ Benedictus XIII. prædecessor Noster eorumdem judicium decreto suo confirmavit die octava Septembris MDCCXXVIII. In miracula deinde auctoritate apostolica per tres Episcopos inquisitum, iisque rite in acta relatis, ac duobus ex illis patrum suffragio dignis probatu compertis, ejusdem memoriæ Bened. XIV. Noster item prædecessor, consulto multis precibus Deo, Patrum judicium, accepta divinitus authoritate, ratum habuit, atque approbavit die Maji decima anni MDCCXLVIII.

*Beatorum albo adscribitur a Benedicto XIV post patratorum miraculorum examen.*

§. 13. Ac primum quidem miraculum patratum est in Margaritha Tanteri virgine Florentina, quæ decenni aneurismata in ultimum vitæ discrimen adducta, post imploratam Josephi opem, puncto temporis integram valetudinem recuperavit. Miraculum alterum conspectum est in Christina Ceccherina virgine ex eadem itidem civitate moniali, inter eas, quæ cappuccinæ vocantur. Hæc enim per septennium variis simul morbis implicita, ut immobilis jam citra spem ullam decumberet, opitulante Josepho, perfecte atque integre, divinitus repente convaluit. Quum igitur de Josephi virtutum heroica excellentia, et perspicua miraculorum nota satis abundeque constaret, laudatus Benedictus XIV. nihil amplius cunctandum ratus, die septima Augusti anni ejusdem MDCCXLVIII. datis apostolicis literis, Josephum beatorum fastis adscripsit.

*Nova beati miracula, quæ pro fundamento illius canonizationis fuere.*

§. 14. Sed novis subinde cœlestibus signis, servi sui sanctitatem Deo declarante, ut reliqui summi honores Josepho decerni possent, auctoritate apostolica de recentioribus, quæ ferebantur per eumdem patrata miracula, quæstio de more instituta est; qua feliciter expleta, duo potissimum præ cæteris patrum sacrorum rituum congregationi præpositorum calculo probatu digna sunt habita, et nos ipsi probavimus die XXV. Maii MDCCLXVI. Ac primum quidem editum est in Maria Constantia Caminati Genuensi virgine, moniali in monasterio ordinis sanctæ Claræ extra mænia civitatis Tuderti. Phtisim illa jamdudum paterna in domo contraxerat,

quam aliquamdiu dissimulatam celare amplius non potuit. Per undecim ipsos annos, assidua febris deteriora in diem symptomata tertium morbi illius gradum clare indicantia; Scirrhus in jecore duro extrinsecus, et late fuso tumore se pandens, aliaque exinde subnascentia morborum genera eo jam ægram adduxerant, ut pelle dumtaxat atque ossibus, nulla præterea corporis parte constare videretur. Itaque non semel extremo sacramentorum subsidio munita, nihil jam aliud apperiri poterat, quam ut e consumpto corpore anima demigraret. Sed desperatam humanitus valetudinem pia monialis per beatum Josephum divinitus est consecuta. Quum enim brevi, quam morbus in lectulo sineret, novemdiali prece illius se patrocinio commendasset, die ipsa, quæ nona et postrema erat institutæ precationis, placide consopita, et somno (quod numquam antea contigerat) diu producto, morbi vim omnem discussam sensit. Eodem tempore color vultui, vires corpori redditæ, quodque magis utique mirandum fuit, caro non modo restituta, sed ea visa est addita, quæ fortasse nunquam extiterat. Neque vero integra tantum fuit valetudo, sed etiam perpetua. Altera superans naturæ vim sanatio contigit Vincentiæ Buada Valentinæ. Hæc enim tres vel quatuor annos nata, ex gravi lapsu; (dum per ludum ab imprudenti quopiam jactatur in aera, et excipitur) luxatis aliquot spinalis medullæ vertebris, gravibus primum morbis, perfecta dein comprehensa fuit paralysi, ita quidem ut crura ob interclusos succi vitalis meatus, arida jam, ac pene lignea motum et sensum omnem amisissent. Conversa igitur puella ad cœlestem opem, quandoquidem in humanis remediis nulla jam reliqua spes erat, novemdiali obsequio beati Josephi auxilium implorat. Eo peracto, nondum tamen compos voti facta erat: Sed patre admonente, brevi adhuc fusa prece, ea ipsa die, momento temporis motum, sensum, et quod mirandum est magis carnem recuperavit.

*Pontifex decernit tuto procedi posse ad beati canonizationem.*

§. 15. Post hæc ejusdem congregationis generalis die XXIII. mensis Septembris anni proximi elapsi coram Nobis habitæ consilium audivimus, an juxta consultissimas leges a prædecessoribus Nostris ipsi congregationi præscriptas, tuto ad beati Josephi canonizationem procedi posset, et quamvis in ea suffragium ferentes unanimi consensu id affirmaverint, nihilominus, ut accuratius causam perpenderemus, precibusque cum nostris, tum aliorum in re tanti momenti divinum promereremur auxilium, nonnisi die XII. subsequentis mensis Octobris decretum, quo ad solemnem beati Josephi canonizationem, servatis servandis, quandocumque procedi posset, edi jussimus.

*Postulationes pro celeri beati canonizatione.*

§. 16. Interim vero charissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, ut hoc decretum ad effectum perduceretur, se summopere optare nobis significavit: ac dilecti filii ordinis Clericorum regularium scholarum piarum superiores proprio, et cunctorum illius professorum nomine assiduas nobis preces porrigebant humillimas, ut eum, a quo divini numinis afflatu leges exemplo suo confirmatas acceperant, supremo tandem cultu decoratum conspicerent, et venerarentur.

*Referuntur acta consistorialia, quæ de more canonizationem quamcumque præcedunt*

§. 17. Ut itaque quod supererat, ad sacrorum canonum normam et juxta venerabilia eorumdem prædecessorum nostrorum instituta perficeremus, universi primum collegii fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilium exquisivimus in consistorio secreto die XXVII. Aprilis proxime præteriti habito, in quo Nos ipsi summam virtutum, et miraculorum beati Josephi, nec non seriem eorum omnium, quæ in ejus causa gesta fuerant, ipsis exposuimus, cunctisque adsentientibus, ut ad supremam gravissimo huic negotio manum imponendam progrederemur quamplures venerabiles fratres Archiepiscopos, et Episcopos ex universa ferme Italia in Urbem accivimus, eos quoque antequam definitivam sententiam ferremus, in consilium adhibituri. Hi omnes causam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in consistorio publico die VII. mensis Maji proxime præteriti coram Nobis habita a dilecto filio Alexandro Tozzi nostræ consistorialis aulæ advocato, tum ex plena, accurataque relatione gestorum, et virtutum beati Josephi, cum miraculis e tabulario sæpedictæ congregationis sacrorum rituum desumpta, quæ typis impressa singulis tradita fuit. Coacto propterea die prima proxime etiam elapsi mensis Junii semipublico consistorio, in quo præter eorumdem fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium collegium, omnes itidem Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi, qui hac ipsa de causa in Urbe aderant, sessionem habuere, factaque omnibus dicendæ sententiæ potestate, spectabilem hujusmodi consacerdotum coronam summa consensione audivimus ad beati Jo-

sephi canonizationem nos adhortantem. Qua de re omnium suffragia proprio singulorum chirographo subscripta colligi, et in tabularium romanæ Ecclesiæ referri jussimus: mandantes præterea dilectis filiis sedis apostolicæ notariis, ut super solemni actu publica instrumenta conficerent.

In BB. Apostolorum basilica solemnitas canonizationis perficitur.

§. 18. Indictam deinde ad perficiendum canonizationis actum hodierna die, qua solemnia coronationis nostræ recurrunt, postquam superiori hebdomada per triduum omnes christifideles ad jejunium hortati fueramus, tribus patriarchalibus basilicis designatis cum plenariæ indulgentiæ concessione, ut ad impetrandum divini Spiritus lumen fideles ipsi suas nostris adderent preces. Hac demum die congregatis in Vaticano omnibus utriusque cleri ordinibus, et curiæ, ac aulæ nostræ proceribus, præcipue vero venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, solemni supplicatione divinam majestatem exorantes ad basilicam principis apostolorum processimus. Ibi autem cum dilectus filius noster Carolus tituli S. Clementis S. R. E. presbyter Cardinalis Rezzonico nuncupatus ejusdem S. R. E. Camerarius, pro canonizatione impetranda procurator designatus enixa christianorum principum, antistitum, capitulorum, ecclesiarum, magistratuumque, ac totius ordinis clericorum regularium scholarum piarum vota, atque preces Nobis obtulerit pro solemni canonizatione ipsius beati Josephi, ac etiam beatorum Joannis Cantii, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini a monte Granario, ab Asculo denominati, et Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Nosque semel, iterum, ac tertio rogaverit, ut exoptatam dudum sententiam pronunciantes, commune gaudium explêremus. Ideo Nos implorato prius universæ coelestis curiæ præsidio, et advocato cum gemitibus paraclyto Spiritu, eoque sic inspirante, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ, et christianæ religionis augmentum, authoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, B. Josephum Calasanctium a matre Dei ordinis clericorum regularium scholarum piarum fundatorem, omni christianarum virtutum genere ornatum, de re christiana optime meritum, cælestium donorum copia, et miraculorum gloria prælustrem, sanctum esse definiendo pronunciavimus, et una cum prædictis Joanne Cantio, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a monte Granario, ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal sanctorum Ecclesiæ fastis adscripsimus. Decernentes, juxta Benedicti XIV. prædecessoris præfati literas, ipsius sancti Josephi Calasanctii memoriam sexto kalendas Septembris, qua nimirum die illius corpus tumulo demandatum fuit, in universa Ecclesia quotannis recolendam esse, ac ritu debito celebrandam. Ac omnibus christifidelibus, qui in Ecclesia sancti Pantaleonis de Urbe nostra, ubi sancti Josephi mortales exuviæ coluntur, eadem designata die religiose accedent ac Deum optimum maximum juxta nostram, et piæ matris Ecclesiæ mentem precati fuerint, indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenarum perpetuo in forma ecclesiæ consueta concessimus.

Pontifex solemnitate expleta, fideles alloquitur, eisque plenariam indulgentiam impertitur.

§. 19. Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, et confessionis hymno, ad aram basilicæ maximam supra sacratissimam principis apostolorum confessionem incruentam salutis humani generis hostiam oblaturi reverenter accessimus, et facta eorumdem sanctorum speciali commemoratione post evangelicam lectionem a diaconibus latina, et græca lingua decantatam, justa et sancta exultatione spiritus sensimus nos impelli, ut venerabilem sacerdotum coronam, et populum universum, quem religionis studium, atque apostolicæ sedis reverentia non ex Urbe modo, sed ex longinquis etiam regionibus attraxerat; ad eorumdem sanctorum virtutes imitandas, et patrocinium promerendum, paterno affectu breviter adhortari, et accendere conaremur. Denique inexhausti Ecclesiæ thesauri divitias in eos qui adstabant fideles veluti effundentes, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Adhortatio ad novi sancti patrocinium implorandum.

§. 20. In hac autem tum nostra, tum populi totius fidelis justissima exultatione nostræ huic Urbi dilectissimæ alia profecto quædam peculiaris est causa, cur non modo S. Josepho, sed etiam sibi magnopere gratularetur. Solatium est enim non parvi utique faciendum, quod venerabile Josephi corpus apud nos extat, quasi amoris erga nos sui perenne pignus, et monumentum. Nam etsi ubique terrarum coelites clientibus suis opem impertiant, ibi tamen et uberius id, et frequentius præstare solent, ubi corpore hoc est aliqua sui parte adhuc resident. Ad Josephi ergó tumulum in angustiis, in periculis, in rebus dubiis

quisque accedat, per hæc præsertim tam plena ærumnis, et calamitatibus tempora, nec dubitet, quin cum ex iis, quæ passus est, tam multa, tam aspera, patientiam didicit in terris agens; regnantem modo gloriosum in supernis ædibus pium erga se, et propitium experiatur.

Transumptorum fides.

§. 21. Quoniam vero post prolatam a nobis canonizationis sententiam, ab eodem Cardinale procuratore nobis humiliter supplicatum fuit, ut super præmissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras decernere, et edere dignaremur; ideo Nos justissimæ annuentes petitioni, præsentium tenore omnia et singula præmissa confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, atque universæ catholicæ ecclesiæ denunciamus. Mandantes, ut earumdem præsentium exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoseptimo kalendas Augusti pontificatus nostri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




✠ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✠ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinæ card. Lantes.

✠ Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

✠ Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

✠ Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

✠ Ego J. F. episcopus Prænestin. card. Stuppanius.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego C. tit. S. Clementis Presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

✠

✠ Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.

✠
✠

✠ Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.

✠ Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.

✠ Ego P. H. tit. SSmæ Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.

✠ Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyter card. de Comitibus.

✠

✠ Ego Fr. L. basilicæ Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.

✠ Ego M. A. tit. Sanctæ Mariæ de Pace presbyter cardinalis Columna.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.

✠

✠ Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli

presbyter card. Boschi major pænitentiarius.

✠ Ego L. tit. S. Anastasiæ presbyter card. Calinus.

✠

✠ Ego A. tit. Sanctæ Mariæ in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.

✠

✠

✠ Ego P. tit. S. Mariæ Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.

✠

✠ Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.

✠ Ego A. Sanctæ Mariæ in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.

✠ Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.

✠ Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres diaconus card. Ursinus.

✠ Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card. Chisius.

✠ Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.

✠

✠ Ego J. C. Sancti Cæsarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.

✠ Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.

✠ Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.

✠ Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.

✠ Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.

✠ Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala diaconus card. Canale.

✠ Ego B. Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis Veterani.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

C.Card.Pro-Datarius A.Card.Nigronus.

## DCXX.

Dat. die 18. August. 1767. Anno X.

Specialis conventio inter Sardiniæ Regem, et Episcopum Novariensem, quoad controversa dominia, et jurisdictiones hac constitutione approbatur, et confirmatur.

Clemens Episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

*Romani pontifices Ecclesiastica bona, et jura tuentur, illorumque dispersionibus obsistunt.*

§. 1. Regimini universalis Ecclesiæ quamquam immeriti, disponente Domino, præsidentes curis angimur assiduis, ut juxta creditæ Nobis dispositionis officium bona, et jura pia fidelium liberalitate Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ dotantur, vel illustrantur, ab earum proprietate abdicare, et in alienum dominium transferre absque nostra, et hujus sanctæ Sedis auctoritate contra canonicas sanctiones nemo audeat, vel præsumat. Si quæ tamen super eorumdem bonorum, ac jurium possessione dubia nascantur, quæ litis anfractum, aut scandalorum parturiant fomentum, tali ducimus salubri consilio componenda, ut et ecclesiarum removeantur gravamina, et earum pastoribus optatæ pacis, et tranquillitatis proveniat incrementum.

*Referuntur incomoda, et molestiæ, queis Episcopi Novarienses afficebantur quoad controversa dominia, et jurisdictiones.*

§. 2. Alias siquidem pro parte venerabilis fratris nostri Marci Aurelii Balbis Bertone moderni episcopi Novariensis nobis exposito, quod inter cæteras, quibus episcopalis ecclesia Novariensis, illiusque antistes pro tempore existens gaudet prærogativas, ea etiam enumeratur cujusdam juris dominii temporalis supra aliquas terras, seu oppida = la riviera di S. Giulio, ed Orta di Gozzano, e Pieve colla signoria di Soriso = vulgo denominata. Verum quamvis dominii hujusmodi decor spectabilis esset, non lævia tamen illius causa Novariensis ecclesiæ episcopi pro tempore existentes sentiebant onera, non modo quia iis carebant præsidiis, quæ ad illorum populorum regimen, et gubernium necessaria fuissent, sed eo magis ob controversias super supremo dictarum terrarum, seu oppidorum dominio cum tunc existentibus Mediolani ducibus identidem exortas. Quamobrem posteriorum duorum sæculorum decursu iidem epicopi gravibus incommodis, ingentibusque sumptibus non absque animi perturbatione, ac pastoralis ministerii detrimento obnoxii fuere.

*Ad removendas controversias promotas,*

§. 3. Quare, sicut eadem expositio subjungebat, cum veteres illæ, quæ

*extrajudiciali instituta tractatione, conciliatio concinnata est.*

prius a ducibus Mediolani excitatæ fuerunt, nuper a carissimo in Christo filio nostro Karolo Emmanuele Sardiniæ rege illustri motæ fuerint controversiæ, et lites, et regius fiscus ejusdem dicti Karoli Emmanuelis regis, qui idem jus in terris, et oppidis suprамemoratis, quod alias Mediolanenses duces allegabant sibi competere contendebat, eumdem Marcum Aurelium episcopum coram Senatu Taurinensi in judicium vocasset, ipse vero Marcus Aurelius episcopus, qui cæteroquin hujus controversiæ jura coram Senatu deducere renuebat sibi magis opportunum existimaret absque alicujus judicii forma diu agitatam componere controversiam post necessariam a Nobis impetratam licentiam cum regiis specialiter ad id designatis ministris rem pertractare cepit, et post plures habitos congressus, in quibus utriusque partis jura deducta, et serio perpensa fuere, datum tandem fuerit conventionis articulos, præservato nostro, et sedis apostolicæ beneplacito concordibus animis scripto exarare, et super iisdem solemne instrumentum compositionis conficere, cujus quidem instrumenti tenor talis est, qui sequitur = » Carlo Emanuele per

*Sequitur tenor concordiæ.*

» grazia di Dio re di Sardegna, di Ci» pro, e di Gerusalemme, duca di Sa» voja ec. Avendo noi veduto l'istromen» to di convenzione stipulato in Torino » li 15. del mese corrente di Giugno dal » conte Caissotti di Santa Vittoria nostro » ministro di stato, e primo presidente » del Senato nostro di Piemonte, e dall' » avvocato nostro generale Pejretti de» putati per parte nostra, e del vescovo » di Novara Marco Aurelio Balbis Berto» ne tutti debitamente autorizzati per » un amichevole dissimpegno delle con» troversie, e pendenze vertite fin' ora » tra il nostro fisco, e la mensa vescovi» le di Novara relativamente al supre» mo, ed alto dominio della riviera di » San Giulio, e d' Orta, il quale istro» mento di convenzione è del tenore se» guente = L' anno del Signore mille » settecento sessantasette indizione deci» ma quinta, ed alli 15. del mese di » Giugno alle ore 11. circa di francia » della mattina in Torino nell' apparta» mento, in cui alloggia monsignor ve» scovo infrascritto del palazzo del si» gnor marchese Morozzo di Bianzè po» sto nel cantone della SSma Annunzia» ta avanti me notajo, e dell' eccmo » real Senato, segretario civile, ed alla » presenza degl' illmi signori marchesi » Niccolò Argentero di Berzè, e D. Ga» spare Filippo Morozzo di Bianzè testi» monj richiesti, adibiti, ed astanti. » Ad ognuno sia manifesto, che essen» dosi secondo le graziose intenzioni di » S. M., e le buone disposizioni, che » ha pure dimostrato monsignor Balbis » Bertone vescovo di Novara intrapresa » coll'annuenza anche di sua Santità una » trattativa per l' amichevole dissimpe» gno, e adequamento della pendenza, » che vi era tra il regio fisco, e la chie» sa vescovile di Novara per la riviera » di S. Giulio, ed Orta, dopo essersi in » più congressi esaminata la materia, e » bilanciate le ragioni rispettivamente » esposte siasi tra lo stesso monsignor » vescovo, e li ministri perciò destinati » dalla M. S. proposto, ed inteso l' in» frascritto piano di convenzione stato » poi da essi firmato, nel quale si sono » combinate le reciproche convenienze, » che potevano essere adattate al caso, » avuto altresì un distinto riguardo alla » utilità della chiesa. Ed essendosi dal » detto monsig. vescovo trasmesso a sua » Santità il suddetto piano, e rassegna» tane dalli detti ministri la relazione a » S. M. siasi degnata la Santità sua per » mezzo di lettera dell' emo sig. Cardi» nale Torrigiani suo segretario di stato » delli 6. di questo mese di autorizzare » il snddetto monsig. vescovo a stipu» lare solenne istromento in conformità » del divisato piano, e siasi parimenti » degnata S. M. con suo reale biglietto » delli 13. corrente di deputare li signo» ri marchese Caissotti di Verduno mi» nistro di stato, e primo presidente » del Senato di Piemonte, ed avvocato » generale della prefata M. S. Pejretti » per stipulare in suo real nome l'istro» mento di detta convenzione. A questo » effetto perciò costituiti personalmente » avanti di me notajo, e segretario civi» le dell' eccmo Senato di Piemonte » l'illmo, e rmo monsig. Marco Aure» lio Balbis Bertone vescovo della città, » e diocesi di Novara, e sua eccellenza » il sig. marchese Carlo Luigi Caissotti » di Verduno conte di santa Vittoria, e » di santa Maria, ministro di stato, e » primo presidente di detto Senato, e » l' illmo sig. avvocato generale di S. M. » Chiaffredo Pejretti, i quali per il ri» spettivo interesse di detta chiesa di No» vara, e del regio fisco hanno conve» nuto, transatto, ed accordato, e per » il presente pubblico istromento con» vengono, transigono, ed accordano » in tutto, e per tutto come siegue.

1. » Che il supremo dominio della » riviera di S. Giulio, e d'Orta, Gozza» no, e Pieve, e dell' intiero territorio

» di Soriso appartenga a S. M. ed a suoi » reali successori con l' esercizio di tutti » li regali diritti, e prerogative, che ne » dipendono a qual fine da monsig. ve- » scovo in nome della sua mensa sia » ceduto, e dismesso, come per il pre- » sente cede, e dismette abdicativamen- » te, e translativamente, ed in ogni » miglior modo a favore di S. M. e suoi » reali successori stipulanti per essi, ed » accettanti li detti sigg. regi deputati » ogni, e qualunque ragione, che al » vescovado, ed alla suddetta chiesa ab- » bia potuto, e possa competere per » detto supremo dominio, e sue rega- » lie, mediante però l'infra espresso cor- » respettivo, e la riserva altresì delle » prerogative, diritti, e regali infra spe- » cificati in favore di detto monsig. ve- » scovo, e suoi successori nel vescovado.

2. » I vescovi di Novara avranno, » e goderanno perpetuamente il titolo di » principi di S. Giulio, e d' Orta senza » che siano tenuti a prendere per detto » principato alcuna investitura, e così » prestare il giuramento di fedeltà vas- » sallitica alla predetta M. S., e suoi » reali successori, restando eziandio » sciolti, e liberi anche in tempo di » guerra da ogni peso, ed obbligazione » a cui per diritto delle leggi feudali, » e municipali siano sottoposti, e sotto- » porre si possano i feudatarj.

3. » I vescovi di Novara resteranno » altresì signori pienamente nel tempo- » rale di tutti i luoghi della suddetta ri- » viera compreso anche quello di Soriso » colla totale giurisdizione mero, e mi- » sto impero, e la cognizione privativa » di tutte le cause civili, criminali, e » miste, le quali saranno come infra » conosciute, e decise dai giudici, ed » uffiziali, che verranno da essi deputati.

4. » A quest' effetto non potrà in » essi luoghi nè a riguardo delle perso- » ne in quelli abitanti, nè rispetto alli » possessori de' beni in essi situati alle- » garsi, nè aver luogo il decreto del » maggior magistrato. E dovranno pure » la riviera, e luoghi suddetti restare » separati da qualunque altro territorio, » contado, e distretto.

5. » Saranno anche riserbate a ve- » scovi, e così a giudici, che saranno » da essi deputati la prima, seconda, e » terza istanza nelle cause civili, e con- » seguentemente la prima, seconda, os- » sia ultima appellazione, salvo sola- » mente dalle sentenze di ultima appel- » lazione il ricorso al Senato, il quale » non potrà perciò avocare alcuna di det- » te cause in prima, od altra istanza per » qualunque titolo, o causa, e detto ri- » corso non si ammetterà salvo colla » clausola = parito judicato =, e nelle cau- » se eccedenti la somma, ed il valore » di lire 250. di Piemonte.

6. » Continuerà perciò ad appar- » tenere a vescovi la libera elezione » del castellano, o castellani, e così » de' giudici di prima istanza, ed an- » che di quelli di prima, e seconda » appellazione, ed anche de' sindicato- » ri, o d'altri simili uffiziali, i quali » eletti per assumere l' esercizio de' re- » spettivi uffizj, basterà, che presen- » tino al Senato le loro deputazioni per » essere solamente registrate nella se- » greteria civile di detto magistrato, e » senza costo di spesa alcuna anche per » la registrazione, ed a questa presen- » tazione non saranno però obbligati » que' soggetti, a quali i vescovi stimas- » sero per giusti motivi di commette- » re, o delegare qualche causa.

7. » Potranno parimenti i vesco- » vi deputare liberamente gli attuarj ci- » vili, e criminali, i fiscali, fanti ser- » vienti, camparj, ed altre persone ne- » cessarie al servizio della giustizia, » bastando quanto agli attuarj, e fisca- » li, che se ne rimetta una nota alla » segretaria del Senato, la quale sarà » ricevuta senza costo di spesa.

8. » Continueranno pure i ve- » scovi ad esercitare privativamente per » mezzo de' loro uffiziali la giurisdizio- » ne criminale in tutti i casi di delitti » comuni senz'altra eccettuazione, che » di quelli di lesa maestà di primo, e » secondo grado, con dichiarazione, » che qualora si tratterà di cause, il » titolo delle quali possa importare la » pena di morte, o di galera dovran- » no le sentenze del castellano, od » altri uffiziali suddetti portarsi in giu- » dizio di conferma avanti il Senato, » e nelle altre di minor pena non si » farà luogo d'appello al Senato.

9. » I vescovi continueranno al- » tresì nella libera facoltà di far gra- » zie non solamente di pene pecunia- » rie appartenenti al loro fisco, ma an- » che di pene afflittive, e corporali » purchè siano minori di anni dieci di » galera, seguita però che sarà la sen- » tenza, e la conferma di essa ne' casi » come sopra riservati, e basterà, che » dette grazie siano presentate al Sena- » to per essere registrate. Potranno inol- » tre una volta ogni anno fare una gra- » zia di galera perpetua, la quale sarà » interinata dal senato.

10. » Apparterrà inoltre a' Vesco-

» vi di ricevere il giuramento di fe» deltà dagli uomini delle suddette ter» re, e di godere le preeminenze, » ed onoranze solite prestarsi alli me» desimi dalle comunità, e particolari; » così pure di ricevere il giuramento » dalli loro castellani, e giudici di pri» ma, e seconda appellazione, sindi» catori, ed altri uffiziali, o subalter» ni, o similmente da notaj, che ver» ranno come infra da medesimi crea» ti, ed ammessi ad esercitare il nota» riato nelle medesime terre.

11. » Godranno i vescovi libera» mente di tutti i mezzi necessarj per » l'esercizio di detta giurisdizione me» ro, e misto impero, e così anche » per fare eseguire le sentenze criminali » di corda, berlina, ed altre simili.

12. » Potranno altresì i vescovi » concedere restituzioni in tempo, e » proroghe per le istanze, e termini » nelle cause di primo, e ulteriori giu» dizj, e la dilazione di tre mesi ai » debitori per pagare ne'casi non pri» vilegiati, come d'alimenti, mercedi » d'operaj, e simili, concedere, pro» rogare, ed abbreviare i fatali, pro» rogare il termine di riscatto per le » rendite, che non ecceda quello di sei » mesi, e commettere le cause colla » clausola = *summarie simpliciter de* » *plano sine strepitu, et figura judicii,* » *et soli facti veritate inspecta.* = Di» spensare dalla osservanza delle ferie, » dalle solennità prescritte, dalli statu» ti, ed anche dalla disposizione delli » statuti medesimi, quando in qualche » caso così stimino per la più pronta, » e facile amministrazione della giu» stizia, dispensare il figlio, che pos» sa convenire in giudizio il padre, » la donna, che possa maritarsi den» tro l'anno del lutto, concedere licenza » d'alienare, ed obbligare i beni, e » ragioni de' minori, delle donne, ed » altre persone, alle quali non è per» messo senza dispensa di ciò pratica» re. Approvare i bandi, che le comu» nità della riv era sieno in possesso di » far regolare le tasse sopra gli onora» rj, sportule, e salari degli uffiziali, » costringere a prestare sicurtà di ben » vivere, e concedere salvacondotto per » venire a fare il testimonio per gl'in» quisiti d'altro delitto, concedere mer» cati, ammettere borghesi, ossia vi» cini, mancipare, adottare, deputare » tutori, e curatori, e quelli rimuo» vere dopo dati, o scusarli.

13. » Spetteranno a' vescovi tutte » le multe, pene, e confische per i » delitti comuni, ed anche ne'casi di » precetti penali d'ordine del Senato, » quando a termini di questa conven» zione possa usare una tale autorità, » escluse però quelle, che procedono » da delitti di lesa maestà di primo, » e secondo grado, e spetteranno pure » alli stessi vescovi li beni, che si tol» gono agl'indegni.

14. » Potranno inoltre creare no» taj sino al numero di venti tra tutti » li suddetti luoghi, li quali saranno » esaminati, ed approvati dal castella» no, ed altri de'suddetti giudici, che » a ciò verranno commessi da vescovi, » e detti notaj potranno solamente eser» citare il notariato in dette terre senza » che altri possano ivi esercitarlo. Il » castellano della riviera farà ogni an» no, e sempre che così stimi, la vi» sita delle filze, e protocolli di detti » notaj per riconoscere se sono tenuti » in buona forma, e provvederà se» condo, che i casi potranno richie» dere, ed in caso di morte di alcuno » di detti notaj farà intanto bisognan» do, assicurare le dette filze, e pro» tocollo per cautela del pubblico.

15. » Le leggi di S. M. lasce» ranno sempre in osservanza li statuti » de' luoghi della riviera, che si sono » fatti, e confermati da vescovi, on» de avranno solamente luogo ne'casi, » che per detti statuti, o per il pre» sente stabilimento non siasi provve» duto.

16. » Continuerà a ritenersi nelle » terre della riviera quella milizia, che » ivi è stabilita per onorare i vescovi » all'occasione singolarmente del loro » primo ingresso nella riviera, e per » mantenervi la pubblica tranquillità, » e per inseguire anche, ed arrestare, » occorrendo, ogni malvivente, che » fosse per infestarla. E potranno i ve» scovi concedere agli ascritti a detta » milizia la facoltà del porto delle armi » lunghe, ed alli fanti, e soldati di » giustizia anche quello delle corte.

17. » Potranno altresì dar licen» za del porto delle armi lunghe a chi » stimeranno o per sicurezza nel far » viaggio per la riviera, o pure per an» darvi a caccia, o per il riguardo di » qualche altra persona, che potesse » meritarsi questa distinzione. Se però » S. M. per qualche oggetto di buon » governo, e così per una pubblica in» dennità stimasse intorno a ciò di dare » qualche generale provvedimento, i » vescovi per un effetto del proprio zelo » si adatteranno anche alle disposizioni » della M. S.

18. » Continueranno i vescovi a » godere specialmente li seguenti regali, » salve solamente le ragioni di ogni » terzo se vi sono. Il gius di esigere » i dazj, che sogliono pagarsi a vescovi » per l'introduzione, estrazione, e tran- » sito delle merci per i suddetti luoghi, » e quelle de'mercati, che ivi si fanno. » La ragione de laghi, torrenti, e fiu- » mi, acque, e discorsi d' esse, tanto » per i porti, e dazj, che per qualun- » que altro effetto. Il diritto delle mi- » niere anche d'oro, e d'argento, e di » qualunque altro metallo, e semime- » tallo, pietra, calce, marmi, ed in- » somma di tutte le miniere propria- » mente, ed impropriamente dette, » come anche de' tesori. Il diritto de' » forni, e de'molini, ed il solito pa- » gamento, che si esige per i molini. » Il diritto della caccia, e pesca con la » ragione di proibirle, e tutte le altre » regalie minori.

19. » Quanto ai pesi, e misure » starà ferma l' osservanza della grida » a tal riguardo ultimamente pubblicata » da monsignor vescovo insino a che » S. M. stimi di dare un provvedimento » per stabilire l'uniformità de' pesi, e » misure fra la provincia di Novara, » e le terre della riviera per maggiore » agevolezza, e regola di commercio.

20. » In conseguenza delle sud- » dette riserve a favore de'vescovi come » sopra potranno essi pubblicare, e » stampare le opportune gride per la » conservazione di detti diritti, e re- » galie con proibizione ad altri di pre- » giudicarle, ed imposizione di pene » in caso di contravvenzione, e così » pure formare bandi campestri, e po- » litici specialmente per le tasse de' » commestibili, ed altri generi neces- » sarj al vivere umano, e commetterne » l'esecuzione al castellano, ed altri uf- » fiziali, che stimeranno, senza obbligo » di presentarle al senato per l'appro- » vazione.

21. » In ordine alle strade, e » ponti il castellano della riviera proce- » derà ne'tempi debiti alla visita, e fa- » rà eseguire sul campo i provvedi- » menti, che stimerà necessarj.

22. » Saranno pure riserbati a » vescovi il castello, e palazzo di S.Giu- » lio, e quello di Gozzano colli beni, » prestazioni, canoni, ed altri redditi, » di cui gode presentemente il vesco- » vado.

23. » Quanto si è disposto a ri- » guardo de' vescovi dovrà anche aver » luogo in tempo di vacanza della sede » vescovile a favore del capitolo della » cattedrale, ed a questo effetto conti- » nuerà in tal tempo il suddetto capitolo » ad eleggere un governatore per l'eser- » cizio della giurisdizione temporale » nelle terre, e luoghi della riviera.

24. » Oltre le prerogative regali, » e diritti riserbati alli vescovi ne'pre- » cedenti capi, promettono detti signori » regj deputati in nome di S. M. che » la M. S. in correspettivo del presente » accordo concederà a monsignor ve- » scovo, e suoi successori il feudo di » Vespolate nel basso Novarese in feu- » do retto, e proprio inalienabile per » esso monsignore, e suoi successori » nel vescovado col titolo, e dignità » marchionale, mero, e misto impero, » e totale giurisdizione, e così colla » prima, e seconda cognizione di tutte » le cause civili, criminali, e miste » con autorità di deputare li giudici se- » gretarj, fiscali, ed ogni altro inserviente » alla giustizia, con che per l'esercizio » della seconda cognizione si deputi il » pretore regio secondo i stabilimenti, » che vi sono per i feudi, che da S. » M. si concedono in quel paese, e » con le pene altresì, multe, e con- » fische, che seguiranno in detto feu- » do, e territorio, come ne godono gli » altri vassalli, ed anche coll'esenzione » dal maggior magistrato, e col diritto » della caccia, e ragione di proibirla. » E promettono altresì in nome come » sopra, che S. M. assegnerà in per- » petuo, ed in accrescimento delle ren- » dite della mensa vescovile l' annua » somma di scudi ottocento romani, » che fanno lire quattromila di Pie- » monte, la quale sarà invariabile, e » non mai soggetta per qualunque even- » tualità ad alcun ribasso, e detta an- » nualità si cederà dalla M. S. sul tri- » buto, che paga la città di Novara » in piena proprietà a favore de'vesco- » vi, onde sarà per il suddetto effetto » smembrata dal regio patrimonio colla » facoltà alli suddetti vescovi di esig- » gerla di propria mano mediante sol- » tanto la loro quietanza, riserbando so- » lamente S. M. a sè, e a suoi reali » successori la facoltà di assegnare a » favore di detta chiesa invece del red- » dito un altro fondo di eguale reddito » liquido, ed invariabile in tutto, e per » tutto come sopra. E che la M. S. si » degnerà parimenti di compartire in » tutte le occorrenze a vescovi la reale » sua assistenza, e protezione, affinchè » possano i medesimi godere pacifica- » mente dell'esercizio della giurisdizio-

» ne, e diritti riserbati per conseguirne
» l'effetto.

25. » Ed essendo intenzione di
» S. M. di fare in questa occasione sen-
» tire alla comunità, ed uomini della
» riviera Gozzano, sua Pieve, e Soriso
» anche in considerazione de'buoni uf-
» ficj di monsignor vescovo un effetto
» distinto delle sue grazie, si degnerà
» S. M., come detti signori regj depu-
» tati in di lei nome promettono, di
» esimerli per sempre da ogni tributo or-
» dinario, e straordinario, e così anche
» da ogni alloggio, contribuzioni, e
» qualsivoglia altro peso, la mente di
» S. M, essendo, che godano di tutti
» que'privilegj, e franchigie, delle quali
» hanno finora goduto, oltre l'osser-
» vanza della convenzione 5 Ottobre 1640
» rispetto al sale. Riservandosi eziandio
» la M. S. di far loro provare in tutte
» le occorrenze altri effetti della reale
» sua protezione, e beneficenza, sic-
» come avrà sempre a cuore, che si
» promova nella riviera tutto quel com-
» mercio, che possa sempre più fio-
» rirvi per via di manifatture, ed al-
» tri mezzi, che siano valevoli ad au-
» mentare il ben'essere di quelli abi-
» tanti, e di dare altresì tutti i più fa-
» vorevoli provvedimenti per facilitare
» la provista, ed introduzione nella ri-
» viera de' generi necessarj al vivere
» umano, e l'estrazione da essa delle
» mercanzie, ed altre simili robbe.

26. » E rispetto alla somma sta-
» ta pagata dagli uomini della riviera
» in occasione della transazione del 1647
» si aspetteranno i deputati della me-
» desima per intendersi circa il rim-
» borso di detta somma.

27. » Si dichiara, che tutti li
» capi sopra stabiliti avranno il loro ef-
» fetto, ed esecuzione dal giorno del
» presente istromento, e saranno sem-
» pre inalterabili, e perciò detti signori
» regj deputati ne promettono in nome
» di S. M. la perpetua, esatta, ed in-
» violabile osservanza per detta M. S.,
» e suoi reali successori nella corona
» coll'obbligo di tutti i beni della me-
» desima, e con tutte le clausole più
» ampie, ed opportune per questo ef-
» fetto, e così pure monsignor vescovo
» per se, e suoi successori nel vesco-
» vado promette una simile osservanza
» per quanto gli appartiene sotto l'ob-
» bligo de' beni di detto vescovado, e
» con tutte le clausole come sopra:
» riservandosi bensì detto monsignor
» vescovo di riportare il beneplacito
» apostolico della presente convenzio-
» ne, di cui detti signori deputati regj
» promettono, che S. M. si degnerà
» spedirne la rattificanza in buona for-
» ma, dichiarando, che la suddetta
» rattificanza, e l'interinazione, che si
» farà da magistrati della presente con-
» venzione dovranno indi consegnarsi
» a monsignor vescovo spedite in de-
» bita forma senza costo di spesa alcu-
» na. Del che tutto così richiesto io
» suddetto notajo, e dell' eccmo real
» senato segretario civile ne ho ricevu-
» to il presente istromento da detto
» monsignor vescovo, e signori regj
» deputati, e da signori testimonj co-
» me sopra nominati, sottoscritto come
» siegue = Marco Aurelio Balbis Ber-
» tone vescovo di Novara = Caissotti di
» Santa Vittoria = Peiretti avvocato ge-
» nerale di S. M. = Niccolò Argentero
» di Berzè testimonio = D. Gaspare Fi-
» lippo Morozzo di Biansè testimonio =
» Emanuele Musso notaro, e segretario
» civile del Senato = Ed avendo noi con-
» siderato, ed esaminato l'istromento
» suddetto di convenzione l'abbiamo
» approvato in tutti li suoi articoli, ed
» avendolo per grato, rato, valido, e
» fermo l'abbiamo rattificato, come
» per le presenti per noi, e nostri reali
» successori lo rattifichiamo, promet-
» tendo in parola di re di farlo esatta-
» mente osservare in tutto ciò, che
» esso contiene, e di non permettere,
» che vi sia giammai contravvenuto
» in cosa alcuna. In fede di che ab-
» biamo segnate le presenti, e fatte
» contrasegnare dal cavaliere D. Carlo
» Flaminio Raiberti primo uffiziale del-
» segreteria nostra di stato per gli af-
» fari esterni, con avervi fatto apporre
» il nostro solito sigillo. Dato. ec. alla
» Veneria li 16 del mese di Giugno
» l'anno del Signore 1767, e del no-
» stro regno il trentesimo ottavo = C.
» Emanuele = Loco ✠ signi = Raiberti.

*Pontifex supra relatam concordiam confirmat, et approbat.*

§. 4. Hinc est quod Nobis humiliter supplicatum fuit, ut supremam auctoritatem nostram adhibendo præmissa omnia, quæ a Nostro, et Sedis apostolicæ beneplacito dependent, vim, et validitatis robur adjicere, et impertiri dignaremur. Nos igitur post maturam rei considerationem ad componendas adeo molestas controversias, ut ecclesiarum antistites liberius suo muneri incumbant, perspectam quoque habentes dicti Karoli Emanuelis regis eximiam religionem, atque in Nos, et Sedem apostolicam singularem observantiam, eique rem gratam gerere intendentes hujusmodi supplicationibus in-

clinati, præinsertum publicum instrumentum, quod quidem ab eodem Karolo Emanuele rege die xvi dicti mensis acceptatum fuisse novimus cum omnibus, et singulis pactis, et conditionibus, atque conventionibus in eo contentis, et expressis harum serie specifice, et expresse apostolica auctoritate perpetuo approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis vim, et robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus, ac compositionem super dicto dominio, et cessionem ab eodem Marco Aurelio episcopo, nec non assignationes nomine dicti Karoli Emanuelis regis respective factas, omnesque conventiones initas, et declarationes emissas validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus ex nunc perpetuis futuris temporibus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia firmiter, et inviolabiter observari, et adimpleri debere, nec ab illis, aut eorum aliquo resiliri, aut recedi ullatenus unquam posse.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Nec non præsentes ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut alio quocumque quantumvis magno, et inexcogitato defectu notari, vel impugnari posse, sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces essæ et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, et functuros etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane respective decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et fel. rec. Pauli II. prædecessoris Nostri de rebus ecclesiæ non alienandis, ac de forma in alienationibus bonorum, et jurium ecclesiasticorum servanda, et quibusvis aliis apostolicis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus ordinationibus, nec non ecclesiæ Novariensis prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse apostolicæ Nostræ auctoritatis plenitudine, harum quoque serie derogamus. Volumus autem, quod intuitu dictæ summæ octingentorum scutorum dictæ monetæ mensæ episcopali Novariensi hujusmodi annuatim, ut præfertur, persolvendæ, et assignandæ, taxa ecclesiæ Novariensis prædictæ in libris cameræ apostolicæ descripta non augeatur.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, quintodecimo kalendas augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

## DCXXI.

Dat. die 21. Augusti 1767. Anno X.

Indulgentia plenaria elargitur omnibus christifidelibus visitantibus aliquam ecclesiam fratrum ordinis prædicatorum, et confessis, ac sacra communione refectis aliqua feria sexta ex septem præcedentibus festum S. Vincentii Ferrerii, in reliquis autem feriis sextis, indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum.

Clemens PP. XIII.

Universis christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus in ecclesiis fratrum ordinis prædicatorum pia erga sanctum Vincentium Ferrerium, præsertim in septem feriis sextis ejusdem S. festum immediate præcedentibus, devotio introducta fuerit, prout de præsenti etiam viget: Nos ad eam confovendam, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere pœniten., et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti ordinis in una ex prædictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis sextis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis aliquam ex prædictis ecclesiis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria prædictarum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, utque præsentium earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCXXII.

Dat. die 21. Augusti 1767. Ann. X.

Indulgentia plenaria indulgetur omnibus christifidelibus confessis, et sacra eucharistia refectis, qui aliquam ecclesiam visitaverint ordinis fratrum predicatorum una ex quindecim feriis tertiis institutis in honorem S. Dominici auctoris rosarii beatæ Mariæ Virginis; et indulgentia pariter centum dierum pro cæteris quatuordecim hebdomadis.

Clemens Papa XIII.

Universis christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, et apostolicam bedictionem.

§. 1. Cum sicut accepimus, erga S. Dominicum ordinis fratrum Prædicatorum fundatorem, et rosarii beatæ Mariæ Virginis auctorem devotio introducta fuerit, prout de præsenti etiam viget, qua permulti Christifideles tertis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata sua confiteri, ac sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum sumere, necnon ipsa feria tertia, aut die illi immediate antecedenti jejunare consueverunt: Nos, ut de cætero pium opus hujusmodi fructuosius peragatur, ac ad augendam fidelium devotionem, et animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis christifidelibus, qui decætero vere pœnitentes, et confessi in aliqua dicti ordinis ecclesia in una ex prædictis feriis tertiis per eos ad sui libitum eligenda sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum devote sumserint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis tertiis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione re-

fectis in aliqua ex prædictis ecclesiis, et ibidem ut supra orantibus, qua feria prædictarum id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium; quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; utque præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno Decimo.

---

Dat. die 22. August. 1767. Anno X.

## DCXXIII.

Rescripta quædam approbat congregationis de propaganda Fide, spectantia ad disciplinam præscriptam in synodo Libanensi pro clero Maronitarum

Venerabili fratri Josepho Petro Patriarchæ Antiocheno Maronitarum

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ejus studium comendat, quo Ecclesiæ dignitas, et decus exoptat conservare, et ampliare Libanensis Synodi exequutione.

§. 1. Quamquam pro comperto habeamus te communibus suffragiis in Patriarcham inclitæ Moronitarum Nationis electum, et a Nobis deinde confirmatum, omnem in eo curam, atque operam impensurum, ut cum fide Ortodoxa inter circumfusos hostes egregie servata, etiam disciplinæ studium floreret, quo Ecclesiæ dignitas et decus innititur, tamen haud modice lætati sumus simul ac intelleximus, tibi nil esse antiquius, quam ut synodi Libanensis decreta a Prædecessore Nostro fel. rec. Benedicto XIV. approbata plenum exequutionis robur obtineant, et ab omnibus et singulis tam cleri sæcularis et regularis, quam populi fideliter adimpleantur. Hæc enim aperte ostendunt ea postulata, quæ pio, laudabilique zelo commotus ad VV. fratres Nostros S.R.E. Cardinales fidei propagandæ negotiis præpositos deferre voluisti, quæque ab eisdem post maturam rei discussionem congrua, et consentanea reperta in hunc modum se habent.

Referuntur postulata patriarchæ sacræ congregationi Propagandæ Fidei directa, et eorumdem resolutiones.

I. Ut juxta constitutionem S. M. Benedicti XIV. quæ incipit = Apostolica = sedes episcopales ad octo dumtaxat reducantur sub pœna suspensionis et excommunicationis contra respective inobedientes. II. Ut Episcopi, qui sunt adhuc in vivis, et quibus diœceses ab antecessore Patriarcha distributæ fuerunt in congregatione Bachatensi, ad easdem redire cogantur utq. in illis quæ nunc vacant modernus patriarcha novos episcopos constituat, quos magis idoneos, utilesque putaverit. III. Ut Patriarcha, episcopi et clerus tam sæcularis, quam regularis, nec non universa Maronitarum Natio decreta synodi Libanensis omnino adimplere teneantur. IV. Ut monasteria omnia, et monachi, sive eremitæ quicumque tam Patriarchæ pro tempore, quam respectivis locorum episcopis subjaceant juxta eorum regulas et synodi Libanensis decreta. V. Ut monachi, et moniales non regulares ea omnia et singula diligentissime servent, quæ ipsis in prædicta synodo præscribuntur. Itaque cum supramemorati VV. fratres Nostri unanimi sententia rescripserint = *Ad I. et II. servetur omnino decretum Synodi Libanensis quoad assignationem Diœcesum juxta instructionem Patriarchœ mittendam adjecta pœna in casu contraventionis, si S. S. D. N. ita placuerit, suspensionis ab exercitio pontificalium quoad collatorem, et ordinantem, et suspensionis a divinis quoad ordinatum, quo vero ad episcopos titulares serventur prœscripta ejusdem instructionis. Ad III. IV. et V. serventur decreta prœfatœ synodi, et supplicetur Sanctissimo pro expeditione brevis hortatorij quoad omnia et singula in dicta instructione contenta.*

Pontifex hortatorium breve dirigit patriarchæ pro omnimoda exequutione resolutionis sacræ congregationis.

§. 2. Nos eorum voto, et consilio inhærentes, non solum ejusmodi rescripta auctoritate Nostra apostolica confirmavimus, sed in omnibus etiam ratum habuimus, et comprobavimus, instructionem adjungendam nostris his litteris in quibus pro summi, atque universalis Pastoratus officio, fraternitatem tuam hortamur in Domino, ut susceptum semel tanto cum honoris tui cumulo negocium, ecclesiæ disciplinæ in utroque clero juxta synodi regulas concinnandæ, ac perpetuo stabiliendæ ad exitum opta-

tum perducas, illudque in primis cures, et viriliter urgeas, ut omni suspensione e medio sublata, reductio Diæcesum in octo, secundum limites unicuique assignatos, et ad normam præscriptam in synodo Libanensi antedicta, inter episcopos, quos magis idoneos gregi Dominico utiliter pascendo compereris, quam celerrime perficiatur. Hæc te solerter alacriterque prestiturum tua Nobis perspecta virtus, et religionis amor eximius abunde spem facit et pollicetur. Interim tibi, ven. frater, totique clero, ac populo Maronitæ apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 29. Augusti 1767. Anno X.

## DCXXIV.

Archiepiscopum Coloniensem laudat ob edictum ad reformandos Cleri sui mores.

Venerabili fratri Maximiliano Friderico Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. Principi electori

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Maximo romani pontifices solamine afficiuntur ob Episcoporum sollicitudinem ad commissi gregis incolumitatem.

§. 1. In hac nostra universalis Ecclesiæ procuratione, quæ graviores Nobis solicitudines in dies affert et curas, magnum experimur nostrarum molestiarum levamentum, cum ad Vv. fratres Episcopos advertimus animum, qui pastorali vigilantia gregem sibi commissum sedulo custodiunt, nec salutaribus modo præceptis et monitis, sed etiam, quo nihil ad gregis incolumitatem conducibilius, suis ipsorum pascunt probatissimis moribus et exemplis; idque præterea maxime student, ut inferioris ordinis sacri ministri, et dispensatores mysteriorum Dei ipsi pariter virtutum suarum lumen populo exhibeant.

Archiepiscopi laudat edictum ad denuo erigendam prolapsam cleri disciplinam.

§. 2. Quam quidem curam tibi ven. frater, cognovimus esse præcipuam, ex illo edicto tuo, quo prolapsam in clericis, et, quod magis dolendum, in sacerdotibus tuæ diœcesis disciplinam volens erigere, non modo vocationis suæ immemores, et abeuntes in vias sæculi, severioribus verbis castigas, et ad vivendi rationem ecclesiastico homine dignam revocas, irrogata multa adversus eos, qui parere detrectent, sed etiam jubes, ut singulis annis, per spiritualia exercitia spiritum renovent suæ vocationis. Quæ tua episcopalis prudentia sapientiæ tuæ, tuique in gregem tibi concreditum pastoralis amoris indicium facit. Satis enim significas, sanctificandarum animarum summo te studio teneri; et prudentissime judicas, te id minime posse consequi, nisi prius sanctificetur ipsi tui in sacro ministerio cooperatores, qui docendi populi inanem certe operam sumunt, nisi, quam tradunt disciplinam, vita et mobus conprobent. Quamobrem de hoc saluberrimo edicto tuo, quod Nobis vehementer probatur, fraternitatem tuam valde amamus et laudamus, tuumque studium reformandi ecclesiasticorum hominum mores magnopere optamus, ut finem, quo intendit, benedicente Domino, consequatur, et in clero tuo excitetur spiritus sanctitatis; quæ si absit fieri non potest, ut populus probos christianosque induat mores. Interea tibi summopere gratulamur, Ven. frater, quod isto divini cultus et gloriæ flagrantissimo zelo tuo facis, ut de ista Domiuici gregis parte, a Nobis fidei et curæ tuæ commissa quieto et tranquillo animo simus, et in episcopalibus tuis virtutibus conquiescamus. Et fraternitati tuæ, quam tanti est egregia tua virtus, hoc est maximi facimns, omni cordis nostri affectu apostolicam benedictione peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctæ Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 31. Augusti 1767. Anno IX.

DCXXV.

Portugalliæ Reginam obsecrat, ut omni studio curet reintegrationem concordiæ inter Romanam Sedem, et Reginum ejus virum, atque Purtugalliæ Regnantem.

Carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Anne Victoriæ Portugalliæ et Algarbiorum Reginæ fidelissimæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia Nostra salutem et Apostolicam benedictionem.

Propriam pontifex sollicitudinem exprimit pro reintegranda concordia cum Portugalliæ regno multis ab hinc annis disrupta.

§. 1. De redintegranda inter Nos et carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Porrtugalliæ, et Algarbiorum Regem fidelissimum, virum tuum mutua amicitia jam ab illo usque tempore vehementer soliciti, cum apud vos interdictum est Nobiscum omne commercium, dies noctesque in ea semper fuimus cogitatione qui tandem possit inter utrumque nostrum sarciri concordia. Hanc solicitudinem eo experimur amariorem, quo procedente tempore miserae hujus disjunctionis malum ingravescit, nec diutius pati posse videmur carissimi filii desiderium. Quamobrem Deum per hos annos adsidue flagrantissimis orationibus deprecati, ut hærentem paterno cordi Nostro tam acerbum stimulum aliquando Nobis eximeret, ipsi Nobis videmur divino nutu esse admoniti, ut expeditissimum consilium caperemus scribendi ad optimum Principem, eumque admonendi de gravissimo dolore quem Nobis attulit, et in dies graviorem facit ista hæc a Nobis calamitosa disjunctio. Ac mitissimi Principis mansueto ingenio confisi futurum speramus, ut in hoc Nostro occursu veterem in animo suo filialem excitari sentiat amorem et obviam sibi venientem Patrem amantissime excipiat.

Pro hac reintegranda concordia, reginæ auxilium exquirit, penes regium virum suum.

§. 2. Sed tamen tuo, carissima in Christo filia Nostra, Nobis est opus auxilio, de quo regiam majestatem tuam rogamus majorem in modum. Enitere, quæsumus, quantum potes, ut remedium aliquod denique afferatur hujus vestræ a Nobis sejunctionis malo, quo hoc gravius angimur, quo magis inveterascit. Non putamus necesse Nobis esse majestati tuæ ostendere, quantopere piam Deoque gratam operam dederis, Nos et dilectissimum Nobis filium redigendo in mutuam gratiam. Ipsa enim tua erga Nos filiali pietate et in hanc sacram B. Petri sedem religiosa devotione satis intelligis, quæcumque in eam rem officia et studia contuleris, ea omnia jure posse te existimare in ipsam Ecclesiam contulisse. Deum enixe precamur, qui non Deus est dissentionis sed pacis, ut Regiæ majestati tuæ Nobis opitulanti ipse divino suo præsto sit auxilio. Tibique carissima in Christo filia Nostra, quam ob studia religionis atque pietatis præcipue prosequimur charitate, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXXI. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 31. Augusti 1767. Anno X.

DCXXVI.

De eodem argumento agit cum Portugalliæ regio Infante.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Petro Clementi regio Portugalliæ Infanti.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo fili Noster salutem et Apostolicam benedictionem.

Dolet jam multos effluxisse annos a quibus omne interruptum fuit commercium inter S. Sedem, et Portugalliæ regnum.

§. 1. Cogitantibus Nobis, et magno cum animi Nostri mærore considerantibus, tam multos annos inter Nos et carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliæ et Algarbiorum regem fidelissimum fratrem tuum, omne interruptum se commercium, et omnes propemodum aditus ad redintegrandam pristinam inter Nos amicitiam obstructos, non inconsultum visum est consilium ad Regiam ejus majestatem directo denique scribere, et optimum Principem mitissimoque ingenio præditum ad sarciendam inter Nos concordiam omni animi Nostri affectu perlicere. Profecto nihil dolendum magis qua cum præclara et immortalia gloriosissimorum Lusitaniæ regum in S. Ecclesiam merita summam inter eos et Romanum Pontificem effecerint necessitudinem, nunc ac tam multo tempore tantam nobiscum conjunctionem esse diruptam. Nos quidem regi fratri tuo cor Nostrum effudimus, et vere verbis illis Bmi Pauli possumus uti = *ex* (1)

---

(1) Ad Corint. II. 17.

*sinceritate et sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquuti sumus* = Novimus = *cor* (2) *regis esse in manu Domini, qui quocumque voluerit inclinabit illud* =

Regium obsecrat infantem, ut omni cura studeat pro concordiæ reintegratione cum regio fratre suo.

§. 2. Itaque cum in hac re nihil spectemus, quam Dei gloriam et Ecclesiæ ædificationem, valde confidimus, carissimum in Christo filium Nostrum, dei numine permotum, ejusque delinitum gratia, Nostras literas eo prorsus suo animo accepturum quo scripsimus. Qui summam religiosissimi animi tui fiduciam habemus, te, dilectissime in Christo fili Noster, obtestamur in Domino et obsecramus: enitere et omni ope et opera tua contende ut in regis animo filialis erga Nos amor denique reviviscat, ut Nobis ipsi gratulari debeamus, quod in optima tua erga Nos voluntate non frustra spem posuerimus, Nostram tibique maximam Nos debere gratiam profiteamur, quod hujus concordiæ reconciliationem rogatu Nostri perfeceris. Ceterum quantum perspicere possumus vix est, in quo egregium tuum divini honoris et gloriæ studium præstare quidquam possit Deo gratius, et Ecclesiæ præstabilius. Quidquid igitur ad eam rem, dilectissime in Christo fili Noster, contuleris dubitare non potes, quin idcirco mercedem a Deo sis accepturus amplissimam: tibique, dilectissime in Christo fili Noster, et Regiæ conjugi tuæ tuisque suavissimis liberis quos omnes in paternæ charitatis gerimus sinu, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxxi Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 31. Augusti 1767. Anno X.

## DCXXVII.

De eodem argumento agit cum Ulyssiponensi Patriarcha, cui bullam cruciatæ dirigit.

Dilecto filio Nostro Francisco S. R. E. Cardinali Saldagna Patriarchæ Ulyssiponensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Nunciat plures perscripsisse epistolas pro reconcilianda unione inter S. Sedem, et Portugalliæ regnum, easque epistolas patriarchæ mittit, ut eas reddendas curet.

§. 1. Cum diu multumque consideraverimus, quonam tandem modo ad ineunda pacis Nobiscum faciendæ consilia carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliæ et Algarbiorum Regem fidelissimum traheremus; visum tandem Nobis est directo ad optimum principem scribere, cui gratius fore speramus, Nos illi, nullis adhibitis arbitris aut sequestribus ultro occurrere; eamque rationem ab illo præ aliis quibuscumque probatum iri, quæ plurimum exhiberet paterni erga illum amoris Nostri, eique esset argumento nullibi Nos nisi in filiali ejus voluntate et mitissimo animo habere fiduciam. Itaque literas ad eum Nostras in forma brevis, et ad carissimam in Christo filiam Nostram reginam ejus conjugem, tum ad dilectissimum itidem in Christo filium Nostrum Petrum Clementem regis fratrem, et ad dilectum filium nobilem virum comitem de Oeyras dilectioni tuæ mittimus, teque rogamus, ut easdem literas, suas cuique eorum quos diximus reddendas cures.

Patriarcham obsecrat ut concordiæ reintegrationem curet, eique bullam Cruciatæ remittit.

§. 2. Nec grave tibi, dilecte fili Noster, futurum existimamus, quod ex dilectioni tuæ afferatur occasio, quod possis luculentissime declarare promtissimo te esse animo, ut debes, ad quæcumque præstanda officia Romanæ Ecclesiæ, in qua tam excelsum obtines locum. Et certe de egregio tuo in hanc S. Sedem studio plurimum Nobis pollicemus, nec dubitamus, quin omnes zeli tui nervos ad navandam tam piam operam sis adhibituros. Quemadmodum autem usque adhuc Nostri mœroris es et fuisti particeps, ita si res prospere succedat, et ex sententia, æquum est, ut de lætitia Nostra participes, quæ ad animum tuum eo perveniret uberior, quod ad eamdem lætitiam Nobis conficiendam, dilecte fili Noster, præcipuam operam tuam contuleris. Denique cum memoratis literis, quos ut diximus abs te reddi maxime cupimus, tibi etiam mittimus nostro nomine tradendam Regi bullam cruciatæ, qua fidelium conscientiæ consultum volumus. Quam apostolicam providentiam Nostram regiæ illius majestati argumento fore confidimus, quantopere illum ejusque regnum amemus, geramusque in visceribus Jesu Christi. Tibi denique, delecte fili Noster, apostolicam benedictionem omni nostri cordis affectu impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxxi. Augusti MDCCLXVII Pontificatus Nostri anno decimo.

---

(1) Prov. XXI. 5.

Dat. die 31. Augusti 1767. Anno X.

## DCXXVIII

Idem argumentum agit cum comite de Oeyras regio Portugalliæ consiliario.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Inter acerbiores suas calamitates pontifex enunciat disjunctionem concordiæ multis ab hinc annis inter apostolicam Sedem, et Portugalliæ regnum.

§. 1. Etsi plurimæ et aliæ super alias quotidie fere pontificatui Nostro inciderunt calamitates, nulla tamen fuit eritque Nobis acerbior, quam quæ amicitiam disrupit, qua Nos et carissimus in Christo filius noster Josephus Portugalliæ et Algarbiorum rex fidelissimus arctissimo vinculo jungebamur doluimus incredibili dolore et dolemus, Nostri et hujus apostolicæ Sedis amantissimum regem, in quo et pater in filio complacet sibi ita Nobis ipsi complacebamus, se a nobis sejunxisse, et in ea disjunctione etiam nunc permanere. Qui dolor etsi nobis est omnium acerrimus, non tamen ita nos fregit, ut animum de sarcienda aliquando amicitia atque concordia disponeamus. Permulta enim sunt quæ Nostram hanc spem alunt atque sustentant: humanissimum ingenium et mansuetudo, quem minime credimus aeternas velle gerere simultates; tum ipsa ejus religio, quae non patietur longiore sejunctione diruptum cum hac apostolica Sede commercium; clarissimorum etiam majorum exempla, quæ illi redigant in memoriam quanta illos inter principes et Romanos Pontifices prædecessores Nostros semper fuerit charitas et necessitudo.

Maximam pontifex spem reponit pro conciliandа nova animi conjunctione in regii consiliarii auxilio, et cooperatione.

§. 2. Illud vero in quo maximam spem constituimus, tuum est, dilecte fili nobilis vir, auxilium. Omnia tibi suppetunt ad hanc inter Nos et regem amicitiam reconciliandam; in quibus jure optimo illam præcipue numeramus, quam ipse rex habet in consiliis tuis fiduciam. De tua etiam voluntate plurimum nobis pollicemur, qua pro sapientia tua nihil cupidius expetes, quam pacem atque concordiam; scriptum est = *beatus* (1) *homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiam viæ ejus pulchræ et omnes semitæ ejus pacificæ* =. Et præcipua quidem tibi erit laus opera tua et virtute, immo vero, te sequestre et auctore, Romanum Pontificem et potentissimum regem redisse in mutuam gratiam: cujus rei, ut auctor esse potuisset præter te nemo, sic tibi, dilecte fili nobilis vir, maxima a nobis habebitur gratia, maxima itidem ab omnibus debebitur gloria. Denique scribendi finem facimus in illis verbis = *suscipe* (2), *fili senectam patris tui, et non contristes eum in vita ipsius* = Deum rogamus, dilecte fili nobilis vir, et impensissimis precibus obsecramus, ut in cor tuum immittat quæ ad hanc rem faciunt, saluberrima quæque consilia: et nobilitati tuæ benevolentiæ erga te Nostræ pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesimaprima Augusti MDCCLXXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

(1) Prov. III. 13.

(2) Eccl. III. 14.

---

Dat. die 12 Septem 1767 Ann. X.

## DCXXIX.

Ordini senatorio regni Poloniæ res religionis comendat contra dissidentium conatus, quoad liberam cultus exercitationem.

*Quoad hanc ipsam materiam videnda etiam epistola Poloniæ regi directa die 18 Aprilis hujus anni, relata hoc tom. III sub num. DLXXXVI.*

Dilectis filiis nobilibus viris ordini senatorio regni Poloniæ.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii nobiles viri salutem, et Apostolicam benedictionem.

Senatores Poloniæ hortatur Pontifex ne ad regni utilitates in proximis comitiis animadvertant, cum regni Christi dispendio.

§. 1. Quo propius tempus illud advertat, cum extraordinaria comitia Varsaviæ habebuntur, de servanda in inclito isto regno catholica religione, et de animabus vestris, ex apostolici muneris nostri officio vehementer solicitos, eo validius urget charitas Christi, ut vos nunc, cum maxime est opus, in visceribus Christi moneamus, in illis comitiis æternam salutem vestram in idem adductum iri discrimen, quo catholica religio venerit. Si enim (quod Deus prohibeat) eo redirent vestra consilia, ut temporales regno vestro pararentur

utilitates cum regni Christi dispendiis, videte quæsumus, dilecti filii nobiles viri, quam demum spem cœlestis hæreditatis habituri sitis in regno Dei. Quamobrem ad utilitates reipublicæ sic amimum adiiciatis oportet, ut numquam mentis oculos a rationibus rei catholicæ deiiciatis; vobisque providendum in primis ut Christi fidelis, deinde boni civis officiis a catholica Ecclesia et a vestra republica quisque vestrum satisfecisse censeamini.

Quo status religionis firmior servatur, eo reipublicæ stabilitas magis consistit.

§. 2. Cum igitur ad ea comitia nobilitates vestræ convenerint, eo vos spectare oportet, ut catholicæ Religioni sua maneat incolumitas et integritas, nec illi quidquam depereat ornamentorum, quæ in eam majores vestri contulerunt; quo enim ejusdem Religionis statum feceritis firmiorem, hoc validiora habebit respublica stabilitatis suæ fundamenta, atque ita istius regni tranquillitati, sine qua hominibus vita ipsa non potest esse vitalis, securitatique publicæ providebitis, et viam illam munietis, quæ ad æterni regni immortalem beatitudinem ducit. Omnia enim, dilecti filii nobiles viri, quæcumque in hac nostra mortali vita agimus, illuc a nobis sunt referenda, quo in suis operibus Deus ipse respexit, ejus nimirum honorem et gloriam. Sed ab his christianæ disciplinæ monitis et consiliis mentem suam avertunt, qui nihil nisi terrena sapiunt. Nec novum accidit Nobis, in medio vestri homines extitisse qui claudicantes in semitis suis tam multas excitaverunt turbas, et ambulantibus per semitas justitiæ tanta scandala obiecerunt. Scriptum est enim = *necesse est ut veniant scandala* =. At magna Nos caperet admiratio, si qui hactenus singulari fuerant in catholicam Ecclesiam fide, obedientia, et amore, in ea se scandala implicarent, eaque novis legibus condendis et propagarent latius, et corroborarent validius, et perennia facerent. Væ, dilecti filii nobiles viri, væ nationi vestræ universæ, si tale quid accidat. Sed multo potiori jure væ illis per quos scandala inducuntur, nec iis tantum qui ipsimet de industria scandala parant, sed illis quoque, qui ea cum summovere possent, vel negligerent vel dissimularent. Annon Christus Dominus judex vivorum, et mortuorum ab his qui ad talia vel oscitarent, non modo ab iis suas eorum, sed etiam innumeras alias animas requireret, a quibus, si præsentibus malis necessaria adhibuissent remedia, æternam perniciem depulissent?

Confidit Poloniæ Senatores majorum emulaturos exempla pro firma religionis observantia.

§. 3. Sed longe vos arbitramur ab ejusmodi perniciosa vel oscitatione, vel dissimulatione abhorrere; quin etiam existimamus vos religionis acerrimo sensu commotos, et minime volentes majoribus vestris propugnatæ catholicæ fidei gloria esse impares, falsa rejecturos humanæ prudentiæ consilia, nervos omnes in id intendendo, ut regnum Christi apud vos servetur incolume, præ qua Beatissimus Paulus arbitratus est omnia ut stercora. Pro Christo (1) legatione fungentes, tamquam Deo exhortante per nos hæc habuimus ad vos scribere. Videte quæsumus (2) quid faciatis: non enim hominis exercitis judicium sed Domini; et quodcumque judicaveritis in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum et cum diligentia omnia facite. Idque in Domino confidimus vos præstituros, et in eorum sermonibus surdos, qui sua querunt non quæ sunt Christi divinæ illi voci vestras aures præbituros; quærite primum regnum Dei; Denique dilecti filii nobiles viri, ex Dei virtute alacres ite in comitia. Vester in oculis verus honor sit et solida gloria, vestræ reipublicæ salus, vestrorum omnium, qui sunt, quique erunt animæ earumque æterna vel felicitas vel ærumna, ut bene vel male catholicæ Religioni contingerit a vobis esse consultum. Hæc vero quæ hactenus scripsimus, a ven. fratre Archiepiscopo Ancyrano apostolico nuncio nostro audietis explicata copiosius, cui nostro nomine de his rebus vobiscum agenti omnem fidem velimus adhibeatis: vobisque omnibus auspicem rei bene gerendæ apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII pontificatus nostri anno decimo.

(1) II. Cor. V. 10.
(2) II. Paralip. XIX. 6.

Dat. die 12. Septemb. 1767. Anno X.

## DCXXX.

Poloniæ Regi illustri res Religionis comendat adversus dissidentes.

*Vide epistolam superiori numero relatam et adnotationem ibi appositam.*

Carissimo in Christo filio Nostro Stanislao Augusto Poloniæ Regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Suum studium Pontifex significat pro Poloniæ regni felicitate.

§. 1. Quantopere incliti istius regni tui, tuarumque rerum felicitati studeamus, regiæ majestati tuæ existimamus esse perspectum. Sed quæ appropinquant generalia vestra comitia, nimio plus quam arbitrere curas nostras adaugent. Ubi enim de æterna tua et ortodoxæ istius gentis felicitate agitur cum caducæ hujus vitæ opes et fluxa potentia ne conferri quidem possit cum cælestibus bonis, quibus perpetuo duraturis futura tibi sit vita beatissima, infinite acuantur Nobis necesse est adsiduæ solicitudines, quas pro regia majestate tua, tuoque regno suscepimus. Vigilantiam quidem tuam et industriam cum summa prudentia conjunctam probo novimus, quam catholicam Ecclesiam eripere studio ex iis periculis, quæ illi a dissidentibus intenduntur. Scimus S. hanc Ecclesiam ea potissimum causa tibi esse carissimam, quod pro certo habeas nemini spem ullam salutis esse posse, qui sit ab ea segregatus: exploratum itidem habemus, illud te ab initio regni tui imbibisse labefactatis vere sinceræque fidei rationibus rempublicam stare non posse, et attritis rebus catholicae religionis et maximis opibus plerumque eversa esse potentissima regna.

Poloniæ commonet regem, ut in proximis Comitiis omni studio curet dissidentium conatibus resistere.

§. 2. Verum etsi præclaros hosce regii animi tui sensus cognovimus tamen rei magnitudine commoti, et ipso in quo eadem res versatur periculo perterrefacti, temperare Nobis ipsi non possumus, quin te, carissime in Christo fili noster, sedulo moneamus, te in proximis comitiis ad gravissimas dimicationes et contentiones esse objectum, ac proinde paratissimum animum abs te illuc afferre oportere ad validissimos dissindentium impetus sustinendos quibus nec sine magno labore queas obsistere, nec sine Dei ope et auxilio pervincere. Quod tamen auxilium a sponso suo Jesu Christo tibi impetrabit amantissima tui S. Mater Ecclesia, cum viderit te carissimum sibi filium pro ejus salute et incolumitate nihil laboris, nihil curæ et solicitudinis recusantem. Strenue igitur divina ope fretus causam Dei tuere, carissime in Christo fili noster; tentat quidem regiam majestatem tuam Deus in tanto discrimine, sed isthaec tentatio indicium facit a Deo te diligi. Sic Tobiae ab Angelo dictum est: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Sed fidelis est Deus, qui non patietur tentari te supra id quod potes, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possis sustinere* = Quinam autem uberior proventus qui felicior tentationis exitus, quam cum a Deo adjutus victor evaseris cum ingenti et ad omnem posteritatem producenda tui nominis gloria?

Eumdem Regem hortatur ut firma patientia, atque constantia triumphum religionis expectet.

§. 3. Itaque oportet modicum nunc contristari te in variis tentationibus, ut fides tua per patientiam probata præclarior fiat, quemadmodum igne examinatum aurum habetur probatus, et pretiosa inveniatur in laudem et gloriam et honorem tum Deo tum etiam tibi nobilissimum reportanti triumphum, finem nimirum tuae fraternitatis, salutem animarum. In hac autem sita est vera felicitas; quam tuum est, carissime in Christo fili noster, parare populo, quem tibi Deus regendum, custodiendumque commisit. *Denique usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos* = Et regnum quidem tuum si vis incolume et tutum = *quaerere primum Regnum Dei, et hæc omnia, ait Dominus Jesus, adjicentur tibi.* Id vero ad hanc rem, de qua agimus S. Celestinus praedecessor Noster explicavit qui ad Theodosium Augustum scribens = *Major, inquit, vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora, serventur.* Hos animi Nostri sensus, nostrarumque fiduciam, quam in tua pietate et religione, carissime in Christo fili noster, maximam collocavimus, uberiore tibi sermone apostolico Nuncius noster Ven. Fr. Angelus Archiepiscopus Ancyranus exponet, cui ad communem finem assequendum, quo omnes intendimus, ut faveas, omniaque tua præstes officia, regiam majestatem tuam rogamus majorem in mo-

dum: Tibique cariſſime in Christo fili noster; quem in visceribus Jesu Christi gerimus, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 12. Septemb. 1767. Ann. X.

## DCXXXI.

Catholicæ Religionis res comendat cunctis in Poloniæ regno Archiepiscopis, et Episcopis contra dissidentium conatus.

*Vide epistolam præcedentem, et adnotationem in ea appositam.*

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniæ.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

Præcedentes epistolas hac super ipsa re perscriptas comemorat.

§. 1. In hac tanta calamitate, quam in isto regno catholicæ Ecclesiæ cernimus imminere, plures ad vos literas dedimus, quibus vos cohortabamur, ut non modo stateris in episcopali excubia, ne iis quæ a dissidentibus catholicæ rei parantur insidiis vestræ fidei et vigilantiæ commissi greges intercluderentur, sed etiam ut paratissimo animo essetis ad resistendum eorum conatibus, qui catholicæ Ecclesiæ infensi sepem illam moliuntur evertere, quæ vineam Domini isthic apud vos custodivit incolumem. Ab ac vinea sua Dominus, quod illi gravissimum periculum impendet, dignetur avertere. Hanc ab illo ejusdem vineæ tutelam in humilitate cordis nostris flagrantissimis precibus petimus. Verum si constituerit vineæ Dominus, nonnisi verbis impigre et efficaciter operantibus ab impendenti malo eam eripere videtis, venerabiles fratres, vobis ad episcopatum vocatis a Domino quanta esse debeat cura, quanta solitudo ut ejus impleatur voluntas, quam tum declaravit cum dixit = *ego elegi vos, et eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat* =. Itaque nunc, cum maxime est opus = *attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* = vestrum unicuique dictum existimare = *esto vigilans et confirma cetera, quæ moritura erant. In mente habe qualiter acceperis, et audieris, et serva. Si non vigilaveris veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te* =.

Eos obsecrat, ut voces extollant, neque sinant silentio suo dissidentes in contentione triumphare.

§. 2. Denique nolite esse tamquam canes muti non volentes latrare, sed voces viæ gentis istius universæ auribus insonent. Ne patiamini quemquam silentio vestro deceptum, et in hac dissidentium contentione nihil mali subesse falso existimantem cum suæ ipsius animæ pernicie in errorem abduci. Neque a culpa vos abesse arbitremini, si vel taceatis, aut quod idem est, in gravissimo catholicæ rei periculo conniveatis. Denique idem plane sentimus, quod præcessor noster S. Celestinus I. cum scribebat ad episcopos Galliæ = *Timeo, inquit, ne magis ipsi loquantur qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi* = sed nostri animi sensus super hac re vobis explicatius exponet Ven. Frater Archiepiscopus Ancyranus noster apostolicus Nuncius, cui mandavimus, ut vobis in tam periculoso tempore præsto sit quibuscumque poterit officiis, studiis, atque consiliis. Vobisque omnibus, vestro zelo vestræ pietati et religionis studio Dei causam enixissime commendantes, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duedecima Septembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 12. Septem. 1766. Anno X.

## DCXXXII.

Equestri Poloniæ ordini res religionis comendat adversus dissidentium conatus.

*Vide epistolam supra relatam, et adnotationem in ea appositam.*

Dilectis filiis ordini equestri regni Poloniæ

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem.

Pontifex preces Deo obtulit ad dissidentium procellam avertendam.

§. 1. Ex quo dissidentes foedam istam commoverunt procellam, qua nunc vehementissime jactatur apud vos catholica Ecclesia, Deo numquam offerre destitimus enixissimas preces nostras, ut vobis laborantibus subveniret, et increparet ventum et tempestatem, et tranquillitas fieret, et in eo quidem spem omnem posuimus, qui Nos per regium prophetam monitos voluit, ut nostras in eum solicitudines rejiciamus; curam illi esse de nobis; et in eo fidentibus ipsum quæ opus sunt præstiturum = *revela Domine*, inquit, *vias tuas, et ipse faciet* = sed tamen adjutoria hominum non sunt negligenda, quibus misericordiæ suæ Deus plerumque velut instrumentis quodammodo utitur. Circumspicientibus igitur nobis auxilia, quibus catholica Religio apud vos e præsentissimo periculo eripiatur, statim occurrit spectatissimus vester equestris ordo, dilecti filii, semper quidem flagrantissimo Dei et catholicæ Ecclesiæ zelo vestro illustris, sed in universa christiana republica nuper nobilitatus in primis, cum in proxime habitis comitiis egregia vestra in rem catholicam studia, summamque voluntatem constantissime prestitis. Præclarum sane spectaculum, tantam hominum multitudinem, tanto animorum consensu in unum corpus adeo fortiter coaluisse, ut nullis adversariorum dolis, nullisque minis disijci unquam potuerit. Quæ quidem omnium validissima vis est, religionis, si quæ veræ pietatis vinculo invicem se adstrinxerint.

Equestris ordinis ardorem animi requirit appropinquantibus generalibus regni Comitiis.

§. 2. Quos igitur jam ab eo tempore luculenter apparuit, res omnes fortunasque vestras catholicæ rei devovisse, nunc maxime cum appropinquant extraordinaria comitia, illum ipsum a vobis animorum ardorem ad Dei causam defendendam requirimus. Injurius esset vestræ fidei, vestræ pietati, vestræ constantiæ, vestræ denique laudi et gloriæ, quam ipsi vobis peperistis, quæ de animi vestri fortitudine, vel paullulum suspicaretur. Nec sane in tantam gravitatem, quantum tum temporis exhibuistis, cadere potest levitatis ulla suspicio. Nos quidem eam habemus de religione vestra opinionem, ut non dubitemus, quin eamdem in proximo habendis comitiis præstituri sitis alacritatem atque constantiam, quam in proxime habitis præstitistis. Si aliter de vobis sentiremus, minus aptos regno Dei vos a Nobis existimari, oporteret qui cum manum jam miseritis ad aratrum, suspicaremur ne retro respiceretis; quam suspicionem vehementer abhorret, et plane abominatur animus noster. Quin enim de fidei vestræ sinceritate eam fiduciam habemus, ut non dubitemus, quin Deus, qui tum vos adhibuit in sua causa adjutores, nunc opera vestra, quam fidelem dedistis et strenuam, apprime contentus, iisdem vobis in tanto discrimine adjutoribus sit usurus. Novit Dominus Jesus, vocem illam suam hærere cordibus vestris = *Qui non est mecum contra me est* = Novit vos ab eorum consiliis longissime abhorrere, qui falsa decepti prudentia medium quemdam in rei catholicæ deliberationibus cursum tenent. Illud igitur spectabitis, dilecti filii, quod unum est necessarium et æternæ vestræ vestrorumque liberorum, et conjunitissimorum saluti in posterum prospicietis.

Ad contrarias evertendas insidias nil magis confert, quam animi in unum sensum conjunctio.

§. 3. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Sed prætermittere nullo modo possumus vos admonere, ut sedulo caveatis ne sit schisma in corpore, quod Corinthiis suis tantopere commendabat B̃mus Paulus, sed idipsum pro invicem solicita sint membra. Denique, filii, de summo zelo vestro nihil nobis non pollicemur in posterum, qui studiosissimæ vestræ in catholicam Religionem voluntatis tam præclara pignora in proxime præteritis comitiis habuimus. Hæc vero, quæ hactenus scripsimus, copiosius vobis explicabit apostolicus Nuncius noster ven. frater Archiepiscopus Ancyranus, cui nostro nomine vobiscum de his rebus loquenti omnem adhibebitis fidem. Vobisque omnibus, quos in visceribus gerimus Jesu Christi, intimo paterni cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima Se-

ptembris MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 14. Septemb. 1767. Ann. X.

## DCXXXIII.

Approbatio dismembrationis trium monasteriorum congregationis S. Bernardi ordinis cisterciensis a provincia Romana, atque eorum unio, et incorporatio provinciæ Calabriæ ordinis ejusdem.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Commissi Nobis cælitus pastoralis officii ratio postulat, ut religiosos viros altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatos, peculiari paternæ charitatis benevolentia prosequentes, illorum felici regimini, ac in via mandatorum Domini progressui, regularisque observantiæ conservationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Quum incomoda esset trium monasteriorum unio Provinciæ romanæ, proposita eorumdem incorporatio fuit provinciæ Calabriæ, cui superiores monasteriorum obstiterunt.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Abbas, et Præses, cæterique abbates regimenti nuncupati provinciæ Romanæ congregationis Sancti Bernardi ordinis monachorum cisterciensis, quod cum in tribus monasteriis, nempe Realvalle, Laferrara, e Casa nuova, vulgo nuncupatis, congregationis, ordinis, et provinciæ prædictorum in regno Neapolitano consistentibus, superiores memoratæ provinciæ Romanæ, sive ob locorum distantiam, sive alias ob causas, viros zelo regularis observantiæ præstantes, qui tria monasteria prædicta regerent, ac gubernarent, eligere, ac eis præficere nequiverint, inde evenit, ut monasticæ disciplinæ observantia magnum passa fuerit detrimentum, quocirca nonnullis ab hinc annis actum fuit de eorumdem trium monasteriorum separatione, ac divisione a provincia Romana prædicta, eorumque respectiva unione, et incorporatione cum alia provincia Calabriæ congregationis, et ordinis prædictorum, cui quidem unioni, et incorporationi acriter se se tunc opposuerunt superiores majores trium monasteriorum hujusmodi.

Verum deinde superiores iidem novæ incorporationi assensum præbuere sub specialibus legibus.

§. 3. Verum deinde ipsimet superiores prædicti probe noscentes non aliter sane monasticæ disciplinæ observantiam in monasteriis prædictis restitui, ac reintegrari posse, quam si memorata monasteria provinciæ Calabriæ prædictæ uniantur, et incorporentur, hinc præfati superiores dictorum trium monasteriorum suam operam ad id præbentibus dilecto filio moderno procuratore generali totius ordinis Cisterciensis, et dilecto itidem filio moderno Abbate monasterii sanctorum Viti, et Modesti hujus nostræ almæ Urbis tamquam procuratoribus duarum congregationum ordinis cisterciensis, ad hoc specialiter, ut asseritur, deputatis, convenerunt, ut accedente ad id apostolica Nostra auctoritate, tria monasteria prædicta dividenda, ac separanda essent a memorata provincia Romana, ac respective provinciæ Calabriæ prædictæ unienda, et incorporanda sub sequentibus tamen conditionibus, videlicet: Primo, quod eadem provincia Calabriæ persolvere debeat provinciæ Romanæ prædictæ, et in manibus dilecti filii nostri Andreæ S. R. E. diaconi cardinalis Nigroni nuncupati dicti ordinis apud nos, et hanc sanctam Sedem protectoris totam illam quantitatem, quam idem Andreas cardinalis, et protector, dispunctis calculis, debitam esse censuit: Secundo, quod præfata provincia Calabriæ suppeditare teneretur expensas itineris monachis dictæ provinciæ Romanæ ad eam redeuntibus, ac ipsis vestiarium persolvere, quatenus illud usque adhuc solutum non fuisset: Tertio demum, quod memorata provincia Calabriæ non solum sibi unire, ac in ea retinere debeat eos monachos, qui in regno Neapolitano prædicto orti sunt, sed etiam dilectum filium Petrum Urbani sacerdotem expresse professum ordinis, et congregationis hujusmodi, ac in gentem, et nationem Neapolitanam allectum eidem provinciæ pariter ipsa benigne unire, et incorporare velit.

Preces hinc Pontifici porrectæ pro memorata dismembratione, et nova unione qas Pontifex benigne excepit.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes sub pactis, et conditionibus hujusmodi a memorata provincia Calabriæ admittendis, et exequendis, dicta tria monasteria a præfata provincia Romana separari, ac dismembrari, et provinciæ Calabriæ prædictæ per nos uniri, et incorporari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et, ut, infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum, qui supplicem libellum Nobis porrectum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad eumdem Andream cardinalem et dicti ordinis protectorem remiserunt, consilio, audito etiam ipsius Andreæ cardinalis voto: motu etiam proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tria monasteria prædicta, videlicet Real Valle, la Ferrara, e Casa nuova, vulgo nuncupata, provinciæ Romanæ congregationis sancti Bernardi monachorum ordinis cisterciensis tenore præsentium perpetuo separamus, et dismembramus, illaque sic dismembrata, et separata cum omnibus, et singulis bonis mensarum conventualium, juribus, et oneribus provinciæ Calabriæ monachorum congregationis, et ordinis prædictorum itidem perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ea tamen lege, ut provincia Calabriæ prædicta quantitatem, ut præfertur, a se debitam memoratæ provinciæ Romanæ solvere, ac illam de ea reintegrare omnino teneatur, expensasque itineris prædictis monachis ad provinciam Romanam hujusmodi redeuntibus suppeditare, ipsisque vestiarium, dummodo illud solutum adhuc non sit, persolvere debeat, et præter monachos natos in regno Neapolitano supradictum quoque Petrum tamquam allectione Neapolitanum dicta provincia in se recipiat, et admittat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quadocumque spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, aut in controvertiam revocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et dictæ sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, et aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et congregationis, ac monasteriorum, et provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis etiam pro eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio facta fuisset, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta septembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 17. Septemb. 1767. Anno X.

## DCXXXIV.

Confirmatio binarum resolutionum consilii civitatis Tusculanæ super assignatione annuæ præstationis per communitatem persolvendæ conservatorio nuncupato, del rifugio, ipsius civitatis.

Clemente Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur antiqua hujus conservatorii fundatio, ejusque institutum.

§. 1 Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater noster Henricus Benedictus S. R. E. presbyter Cardinalis Dux Eboracensis nuncupatus, episcopus Tusculanus; quod inter cætera pia opera in dicta civitate Tusculana fundata, et erecta, extat una pia domus, seu conservatorium refugii nuncupatum, ad id instituta, ut scilicet expensis ejusdem loci pii duodecim puellæ parentibus orbatæ alerentur, earumque honestas in tuto posita esset.

Quod sane conservatorium postmodum reformatum, et annua præstatione a communitate Tusculana ditatum.

§. 2. Verum quia bo. me. Petrus dum vixit, S. R. E. presbyter cardinalis Corradinus nuncupatus tunc Episcopus Tusculanus probe novit, nullam in eadem pia domo reperiri magistram, quæ puellas prædictas bonis moribus informaret, easque edoceret, ac dictæ piæ domus fructus, et redditus adeo tenues esse, ut ad substentationem duodecim puellarum hujusmodi minime sufficierent, idcirco idem Petrus cardinalis, et episcopus minuendum esse censuit dictarum puellarum numerum, eoque ad medietatem redacto, loco aliarum sex puellarum hujusmodi subrogavit, atque substituit duas pias mulieres, et magistras, quæ bonis moribus, ac christiana pietate puellas prædictas imbuere tenerentur, atque a communitate, et hominibus dictæ civitatis annuum subsidium valoris duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico pistori civitatis Tusculanæ constituendum domus prædictæ concedi, et assignari obtinuit, ac alias prout in resolutione publici consilii ejusdem civitatis a congregatione bono regimini communitatum, et universitatum status nostri Ecclesiastici præposita die V. Martii MDCCXXXV. approbata uberius dicitur contineri. Postequam igitur in memorata pia domo duo magistræ prædictæ reperiebantur ad earum scholas tusculani cives proprias filias mittere ceperunt, ut ibidem bonis moribus instruerentur, sed adeo filiarum hujusmodi numerus excrevit, ut in Episcopatu prædicto saccessores a publblico progressu, et bono, quæ ex æducatione hujusmodi promanabant, et a pastorali eorum zelo commoti aliam tertiam piam magistram propriis sumptibus in eadem pia domo alere, ac retinere consueverunt, prout nunc quoque ab ipso Henrico episcopo, et cardinali tertia hæc pia magistra alitur, ac retinetur.

Quam annuam præstationem communitas adauxit, ut deficientibus occurreret conservatorii redditibus.

§. 3. Verum quia ex numero exiguo reddituum, ac fructuum memoratæ piæ domus, una cum prædicto annuo subsidio a præfata communitate, ut prefertur, concesso perpetuo dictæ duæ piæ magistræ, ac sex puellæ juxta legem præscriptam a memorato Petro cardinali, et tunc episcopo Tusculano ali, ac retineri nequibant, quippe quia quamplures elemosynæ, quæ annuatim a quibusdam piis viris, et benefactoribus eidem piæ domui suppeditari solebant, defecerunt, atque tota Tusculana civitas prædicta probe noscens quantum boni optimæ filiarum æducationi inde eveniret, ac simul grave præjudicium, quod ex deficientia piarum magistrarum hujusmodi sibi obventurum esset, hinc in publico consilio ejusdem civitatis habito die x. Augusti MDCCLXVI. statutum fuit, ut piæ domui, seu conservatorio prædicto aliud subsidium triginta scutorum monetæ quotannis præstandum esset, adjecta obligatione prædictis magistris piis, nulla soluta mercede, gratis admittendi in earum scholas, nemine excepta, omnes indistincte puellas cives, et in dicta civitate habitantes, ac sub expressa conditione, et lege, ut cessante publica, ac gratuita scholæ hujusmodi retentione in dicta pia domo ab eisdem piis magistris peragenda, statim quoque cessare deberet prædicta annua psæstatio scutorum triginta, ac alias prout in resolutione prædicti publici consilii die subinde XXIII. ejusdem mensis Augusti MDCCLXVI. a memorata congregatione approbata uberius itidem dicitur contineri.

Quæ assignationes quum satis non essent, easdem de proprio adauxit Episcopus Tusculanus.

§. 4. Sed cum ex duabus annuis præstationibus hujusmodi, simulque ab exiguis fructibus, et redditibus præfatæ piæ domus, seu conservatorii annuus illius introitus in summa tantummodo scutorum centum triginta, ac obulorum triginta constituatur, et hæc sane quantitas satis profecto non sit, ad hoc ut juxta legem præscriptam a memorato Petro Episcopo, et Cardinali, duæ piæ magistræ, et sex puellæ in eadem domo, seu conservatorio alan-

tur, et retineantur, itaut ipsa pia domus in ea semper necessitate fuerit, novum æs alienum contrahendi; absque spe illud deinde dimittendi, hinc idem Henricus Benedictus Cardinalis, et Episcopus ea, qua pollet pietate, charitate, religionis zelo, ac pastorali vigilantia, et salutis animarum desiderio, postquam experientia compertum habuit, necessariam omnino esse ejusdem piæ domus conservationem, ut in ea usque ad certum tempus pauperes puellæ orphanæ retineri possint, earumque honestas in tuto deponatur, ac simul ipse agnovit quantum pia hæc domus utilitatis afferat publico bono in filiabus Tusculanorum civium optima educatione instituendis, ut erga suam diœcesim prædictam sibi carissimam novum hoc amoris signum præstaret, piam domum, seu conservatorium hujusmodi perpetuam reddere cogitavit, ut episcopis Tusculanis pro tempore existentibus nunquam deficiat locus, et modus, quibus honestati pauperum puellarum consultum sit, eaque a periculis omnibus libera, ac immunis reddatur; civibus vero Tusculanis tribuatur facultas, et commoditas ad scholas in eadem pia domo, seu conservatorio existentes proprias filias mittendi, ut una simul cum puellis ibidem commorantibus fidei rudimentis, et christianis virtutibus, quæ difficilius alibi ediscere et acquirere nequirent, ipsæ imbuantur, et informentur. Qua de re dictus Henricus cardinalis, et Episcopus in eam sententiam venit, dandi scilicet, et assignandi ex suis propriis bonis, et substantiis piæ domui, et conservatorio prædicto certum, ac tutum annum redditum scutorum ducentorum, et octo in tot locis montium non vacabilibus ad hoc præcipue, ut perpetuo in eadem civitate prædictum conservatorium habeatur, atque in eo constituta sit alia tertia pia magistra, sine qua omnes filiæ civium, et habitantium Tusculanorum haud commode bonæ æducationis utilitatem assequi possent, simulque prædicto numero sex puellarum orphanarum, alias tres puellas hujusmodi augendi, ita ut in domo, seu conservatorio præfato reperiatur præscriptus numerus duodecim mulierum, trium nempe piarum magistrarum, et novem puellarum prædictarum, quæ cum fructibus, et redditibus ejusdem piæ domus annuorum scutorum centum triginta, et obulorum triginta una simul additis supradictis scutis ducentis, et octo, summam in totum scutorum tercentorum triginta octo, et obulorum triginta constituentibus ali, et retineri ibidem poterunt. Ad celeriorem vero hujusmodi pii operis respicientis publicum bonum executionem, idem Henricus episcopus, et cardinalis jam æs alienum in summa ducentorum scutorum, et ultra a dicta pia domo, seu conservatorio contractum persolvit, prætereaque domum ei finitimam pretio scutorum quingentorum quinquaginta, ut illius ædes ampliores, et commodiores redderentur ære proprio comparavit.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tractu temporis evenire possit, ut annuæ præstationes valoris nempe duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico dictæ civitatis pistori constituendum, et annuorum insuper scutorum triginta a communitate, et hominibus prædictis, ut præfertur, promissæ in dubium sub quovis colore, ac etiam sub quocumque insubsistenti prætextu revocari, et in controversiam adduci possent, quo casu eadem pia domus, seu conservatorium, vel novum æs alienum contrahere teneretur, vel pias magistras prædictas alere et retinere minime posset hinc ut hisce malis opportunum modo adhibeatur remedium, easdem annuas, præstationes, sicut præfertur, promissas per Nos approbari, et confirmari idem Henricus cardinalis, et episcopus summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

*Ne autem annuæ præstationes a communitate rependi solitæ, futuris temporibus quacumque ex causa deficerent, earum approbationem, perpetuamque confirmationem a Pontifice Tusculanus Antistites requisivit*

§. 6. Nos igitur ejusdem Henrici cardinalis, et episcopi pietatem, charitatem, et religionis zelum plurimum in Domino commendantes hujusmodi supplicationibus inclinati prædictas annuas præstationes, valoris nempe duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico pistori civitatis Tusculanæ constituendum, et annuorum scutorum triginta favore dictæ piæ domus, seu conservatorii refugii nuncupati ejusdem civitatis ab illius communitate, et hominibus in dictis publicis consiliis, ut præfertur, promissas, et assignatas donec, et quousque piæ domus, seu conservatorii prædicti existentia in eadem civitate Tusculana duraverit, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, easdemque annuas præstationes memoratæ piæ domui, seu conservatorio anno quolibet, ut præfertur, a dicta communita-

*Pontifex precibus annuit, annuasque præstationes perpetuo a communitate conservatorio huic persolvi jussit.*

te, et hominibus Tusculanis perpetuis futuris temporibus dandas, et subministrandas esse volumus, ac mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ civitatis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum non intendimus per præsentes dicti conservatorii institutum, seu denominationem in aliquo approbare. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die XVII. Septembris MDCCLXVII Pontificatus Nostri anno decimo.

## DCXXXV.

Dat. die 28. Septemb. 1767. Anno X.

Dos Prioratus Alverniæ Hospitalis Hierosolymitani comutatur cum dote Bajulivatus Lugdunensis Hospitalis ejusdem.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponuntur rationes hujus permutationis explendæ.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores linguæ Alverniæ hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod cum lingua prædicta propter nonnullas justissimas causas congruam, ac convenientem agnoverit permutationem dotis prioratus Alverniæ ejusdem hospitalis cum dote Bajulivatus Lugdunensis Hospitalis prædicti, assignando propterea dotem Bajulivatus hujusmodi eidem Prioratus, et dotem Prioratus præfati dicto Bajulivatus constituendo, petendam esse censuit a dilectis itidem filiis magno Magistro, et Hospitalis praedicti consilio approbationem, et confirmationem hujusmodi permutationis, sub conditionibus, et declarationibus expressis, ac contentis in deliberatione hac super re habita, prout re ipsa ab eisdem magno Magistro, et consilio decretum petitioni conforme eadem lingua obtinuit, tenor autem deliberationis, ac decreti hujusmodi est, qui sequitur videlicet.

Exponitur tenor deliberationis pro postulata permutatione.

» Frater Emanuel Pinto, Dei gra-
» tia sacræ domus Hospitalis Sancti Jo-
» annis Hierosolymitani, et militaris
» ordinis Sancti Sepulchri Dominici Ma-
» gister humilis, pauperumque Jesu
» Christi custos: universis, et singulis
» præsentes nostras literas visuris, le-
» cturis, et audituris salutem. Notum
» facimus, et in verbo veritatis atte-
» stamur, qualiter infrascriptum decre-
» tum extractum fuit ex libro concilio-
» rum in cancellaria nostra conservato,
» in quo similia notari, et registrari so-
» lent; quod quidem in hanc publicam
» formam extrahi, et redigi jussimus,
» ut ubique tam in judicio, quam extra,
» eidem plena, et indubitata fides adhi-
» beatur; cujus tenor est, qui sequi-
» tur, videlicet.

» Die XVIII. mensis Augusti 1767.
» Perlectis precibus procuratorum vene-
» randæ linguæ Alverniæ una cum ejus-
» dem venerandæ linguæ deliberatione,
» quarum tenor est, qui sequitur vide-
» licet: Altezza eminentissima = Li pro-
» curatori della veneranda lingua d'Al-

» vernia umilissimi servitori, et obbedientissimi religiosi di V. A. E. espongono riverentemente, che la predetta veneranda lingua riconoscendo mediante la relazione de'commissarj, e di essi oratori essere vantaggioso il progetto di permutare i titoli delle due dignità del priorato d'Alvernia, e del Baliaggio di Lione, ossia di permutare li beni di una dignità con con quelli dell' altra, assegnando li beni del Baliaggio per dote del Priorato, e li beni di questo per dote di quello, incaricò li detti procuratori di ricorrere, e praticare le diligenze opportune per ottenere l' approvazione di tale sua deliberazione, sotto però le condizioni, ossiano dichiarazioni insinuate dai predetti commissarj, e dagli oratori nella succitata loro relazione, quale fu anche sottoscritta dal procuratore dell'attuale venerando Balì maresciallo, e come meglio si rileva dall'annessa copia della detta deliberazione delli 8 del corrente mese di Agosto. Che però essi oratori a nome suddetto ricorrono all'A.V.E. umilmente supplicandola degnarsi col suo sagro consiglio approvare, e confermare la detta deliberazione, e ordinare l' esatta esecuzione della medesima in tutte le sue parti, e della grazia rimarranno obbligatissimi.

» Extrait des registres de la venerable langue d' Auvergne le 8 Avût 1767. Par permission d'eminentissime et reverendissime monseigneur fr. D. Emanuel Pinto tres digne grand Maitre de l'ordre, de S. Jean de Jerusalem, et du S. Sepulcre, s'est tenue la venerable langue d'Auvergue presidant an si elle monsieur le chev. fr. Gilbert de Montaignac Bord commandeur de Celles et de Doles. Dans la quelle messieurs les chevaliers de Chauvance, de Lancosme, et les procureurs de la venerable langue commissaires ci-devant nommes pour examiner le projet, touchant l' echange des dignites du grand prieure d'Auvergne, et du baillage de Lion, ont fait la relation suivante. Illmi signori. Li signori procuratori di quella veneranda lingua presentarono alla medesima un progetto di permuta dei titoli del Priorato d' Alvernia, e del Baliaggio di Lione, mediante la quale erigger si dovesse il Baliaggio in Priorato, e ridursi questo in Baliaggio. Li motivi principali, dai quali furono indotti li predetti signori procuratori, sono li seguenti: primo la segregazione dei beni, quali compongono il detto Priorato, distanti fra loro, e di difficile amministrazione, massime da persone avanzate in età, come sogliono essere li venerandi Priori. Secondo il difetto di casa priorale nella città di Lione, ove si congregano li venerandi capitoli, e venerande assemblee provinciali: e terzo il pessimo stato, nel quale si trovano le fabriche dei beni spettanti al detto Priorato, quali necessitano pronto riparo, senza che possa a tali spese supplire il venerando Priore a riflesso del tenue reddito del Priorato aggravato di varj pesi; quando che il Baliaggio di Lione è di rendita notabilmente maggiore, meno gravato di spese, e con casa residenziale nella città di Lione. Tale progetto inteso da questa veneranda lingua, piacque alla medesima addossare a noi l'esame di quello; il che avendo eseguito colla più seria, ed esatta attenzione, ci diamo l'onore di riferire unitamente coi signori procuratori suddetti, che li motivi dai medesimi addotti, verificati, e risultanti dagli atti dell' ultima visita priorale fatta dal venerando gran Priore de Thiange nel 1753 1754 e 1755 sono validissimi, di maniera che a noi sembra, che questa veneranda lingua non solo prestar deve il suo consenso alla proposta permuta, ma sì bene incaricare li stessi signori procuratori, ricorrere a S. A. E. e al sagro consiglio, e supplicare il decreto corrispondente per la pronta effettuazione della medesima. E perchè una tale permuta di titoli delle suddette due dignità possa eseguirsi senza pregiudizio di verun individuo di questa veneranda lingua, ci facciamo lecito insinuare le condizioni, ossiano piuttosto dichiarazioni da apporsi, quali riduciamo a sole tre. Prima, che se vacherà in primo luogo il Priorato di Alvernia, in tal caso sarà a quello promosso il venerando Maresciallo, il quale dovrà godere il titolo, e tutti i diritti, preminenze, e prerogative annesse alla dignità di gran Priore, e scorso il mortorio, e vacante, entrerà nell'amministrazione, e godimento di quei beni vacati, e dal giorno della di lui promozione al Priorato suddetto aver dovrà principio il quinquennio per la prerogativa di conferire, o ritenere commenda; con questo però, che vacando in appresso il Baliaggio di Lione, il detto venerando Priore come

» sopra provisto, ritenendo sempre lo » stesso titolo di gran Priore, abbandonerà (scorso peraltro il mortorio, e » vacante del Baliaggio suddetto) l'amministrazione, e godimento dei beni » del detto Priorato, e conseguirà l'amministrazione, e godimento di quelli » del Baliaggio suddetto, quali saranno » in appresso reputati per dote del detto Priorato d'Alvernia. In riguardo poi » al quinquennio per la collazione, o » ritenzione di commenda di grazia » priorale non dovrà il medesimo aver » nuovo principio, ma sibbene dovrà » continuare a computarsi dal primo » giorno della promozione al Priorato » suddetto. Seconda, dandosi all'incontro il caso, che vacasse in primo luogo il Baliaggio di Lione, dovrà al » medesimo esser promosso il venerando Balì maresciallo col titolo, e » prerogative di Balì di Lione, succedendo però in appresso la vacanza » del Priorato di Alvernia, il detto venerando Balì, ritenendo li beni del » Baliaggio suddetto, permuterà il titolo di Balì con quello di Priore di » Alvernia, ed il venerando Balì maresciallo d'allora sarà promosso al titolo del Baliaggio rinunciato, da denominarsi Baliaggio di Bourganeuf, » che è il membro principale di tutti » quei beni, e scorso il mortorio, e » vacante dei medesimi, entrerà in rendita di essi, ed in tutti li tempi da » venire tali beni, altrevolte priorali, » saranno annessi alla detta dignità di » Balì di Bourganeuf, e quelli altre volte » bajulivali alla dignità di Priore d'Alvernia. In quanto poi al quinquennio » per la prerogativa di conferire, o ritener commenda, a noi sembra, che » in questo secondo caso aver dovrà il » suo principio dal giorno, che il detto » venerando Priore, rinunciato il titolo di Balì, conseguirà quello di Priore, e ciò ad oggetto di non aumentare il numero delle collazioni con » aggravio di questa veneranda lingua, » poichè in caso contrario, lo stesso » tempo correrebbe per due venerandi » Priori, e potrebbe un venerando Priore conferire negli ultimi giorni di sua » vita, e subentrar l' altro a conferire » d' un subito. La terza finalmente, » che sebbene tanto il venerando Priore d'Alvernia, che il venerando Balì » de Bourganeuf sono tenuti ne'termini » prescritti dalla nostra sagra Religione » a rinnovare li cabrei, adempire li » precetti priorali, e giustificare li miglioramenti da essi fatti in tutti li beni, dai medesimi goduti; tuttavia in » difetto de' miglioramenti non fatti, » dei cabrei non rinnovati, e di ogni altro » obbligo non adempito, anzi lo stesso » debito col venerando comun tesoro non » potrà essere di ostacolo all'effettuazione della detta permuta; di maniera che, » se il venerando Priore primo eligendo » sarà contumace nell'adempimento degli obblighi suddetti, anzi debitore » del detto venerando comun tesoro, » ciò non ostante dovrà entrare nell' » amministrazione, e godimento de' beni del Baliaggio, quali si assegnano » mediante la detta permuta per dote » del Priorato; siccome pure se il Balì » primo eligendo sarà, come sopra, » contumace, e debitore, dovrà tuttavia sempre permutare il titolo di Balì con quello di Priore, e ciò senza » che intender si debbano essi venerando Priore, e Balì esenti dall'adempimento di quegli obblighi, al che (tolta la pena dell' incapacità per questo » solo caso) saranno tenuti in conformità di quanto dispongono li statuti, » ed ordinazioni della nostra sagra Religione, e specialmente il decreto del » sagro consiglio delli 14 Ottobre 1731, » come anche ad indennizare li loro successori per le omissioni, e deteriorazioni occorse nei beni da essi rinunciati secondo le nostre regole, e consuetudini, e non altrimenti. Per ultimo ci crediamo nell' obbligo di assicurare questa veneranda lingua aver » noi in conformità di quanto viene insinuato dai detti signori procuratori » comunicata questa nostra relazione al » Sig. Commendatore de' Montaignac » Bord procuratore dell'attuale venerando maresciallo Balì de Brison, a nome del quale ha egli prestato il suo » consenso, e sottoscritta la medesima. » Questo è quanto in esecuzione dei loro riveritissimi comandi ci diamo l'onore di riferire, con sottoporre sempre questa nostra relazione ad ogni » più savia deliberazione di questa veneranda lingua. = Le Chev. de Montaignac Bord. = Le Chev. de Chauvance. = » Le Cher de Lancosme. Les procureurs » de la Ven. Langue d' Auvergne. Le » Chev. de Bosredon. = Le Chev. de Monts. » Cequ' oicy per la Ven. Langue a etè du » sentimant de messieurs les commissaires, et procureurs, et consent a » l' echange des dignites propose, vû » l' avantage, et la bien qui en doit » resulter, et charge messieurs les procuteurs de faire les demarches necessaires auprés de S. A. E. et son sacré

» conseil pour approuver, et confirmer
» le dit projet; et ce par voix et ballo-
» tes N. D. Les procureurs de la Ven.
» langue d'Auvergne. Le chev. de Mons.
» Fr. Zaccarie Vella Secret. de la Ven.
» langue. Emus, et Rmus Dominus
» magnus Magister, et vener conci-
» lium præinsertis precibus inheren-
» tes, prout petitum, et supplicatum
» fuit cum suff. scrut. nem. diste. ap-
» probaverunt, et confirmaverunt, at-
» que deliberationem venerandæ linguæ
» in omnibus ejus partibus executioni
» demandari jusserunt. Et quia ita se
» habet veritas, ideo in hujus rei testi-
» monium bulla nostra magistralis in
» cera nigra præsentibus est impressa.
» Datum Melitæ in conventu nostro, die
» mense et anno supradictis.

Preces porrectæ pro præsentis permutationis approbatione, quæ benigne a Pontifice fuerunt exceptæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes præmissa omnia quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati præinsertam ejusdem linguæ deliberationem a magno Magistro, et consilio Hospitalis prædicti approbatam, et confirmatam auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava Septembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

## DCXXXVI.

Dat. die 1 Octobr. 1767 Ann. X.

Peculiares redditus assignantur pro alendis, et instruendis in aliquo Seminario ecclesiastico pueris subditis jurisdictioni abbatiæ S. Rufilli oppidi Fori Pompilii, nullius dæcesis.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Maximæ utilitates Ecclesiæ Dei dimanarunt ex institutione seminariorum.

§ 1. Plurimas inter et maximas, quas Ecclesia Dei Tridentina synodus attulit afferetque deinceps utilitates, non postremo utique loco habenda est, quæ ex seminariorum institutione percipitur: ibi etenim lubrica ætas, atque ad voluptates sæculi consectandas proclivis, a blandis arcetur vitiorum illecebris, et religione ac bonis artibus informatur, ut postquam juvenes in sortem Domini vocati in iis satis profecerint, et morum castimoniæ doctrinæque specimen præbuerint, alii alio translati, in suo quisque munere, ecclesiis, quibus fuerint addicti, ad Dei gloriam et po-

pulorum spiritualem salutem inserviant. Itaque prædicta synodus, cum ad eorumdem seminariorum erectionem omnino animum adjecisset, mirandum non est, quod in eam rem ecclesiasticos redditus aliqua ex parte converterit. Quod quidem et Nos reputantes atque in votis summopere habentes, quemadmodum alias, juxta exhibitas Nobis preces, nostra usi auctoritate eorum institutioni et dotis augmento consulere non prætermisimus; ita nunc in satis amplo territorio, ad optimæ spei adolescentes literis ac pietate informandos, quandoquidem seminario carent, faciendum duximus, ut iisdem de alio quodam æque opportuno subsidio prospiceremus.

Referuntur incomoda obvenientia ex deficientia ecclesiasticarum personarum in abbatia S. Rufilli.

§. 2. Sane a dilectis filiis capitulo et canonicis basilicæ Principis apostolorum de Urbe Nobis nuper expositum fuit, quod inter ceteras ipsis eorumque capitulari mensæ apostolica auctoritate perpetuo annexas, abbatia etiam enumeratur sancti Rufilli, oppidi Foripompilii nullius diœcesis provinciæ Ravennatensis, in qua ipsi ejusque territorio ordinariam quasi episcopalem supra clerum et populum exercent jurisdictionem. Quamvis autem capitulum et canonici prædicti spiritualibus omnium indigentiis per idoneos ecclesiæ ministros quovis tempore consulere curaverint, nihilominus deficiente presbyterorum copia, eorum præsertim, qui ad excipiendas sacramentales christifidelium confessiones, et ad apostolica ministeria satis idonei sint, vix unquam adepti sunt, quod tantopere optabant.

Ad quam deficientiam removendam plurimum conferre posset si iis, qui ecclesiasticæ optant militiæ haud subsidia deessent pro congrua instructione.

§. 3. Ut igitur clerus eam, qua præditus esse debet, scientiam addiscat, cum de seminario erigendo ob ingentes sumptus cogitari nequeat, satis illi consultum fore arbitrati sunt, si adolescentibus clericali militiæ adscribendis subsidia non deessent, quibus in propinquis atque ecclesiastica disciplina præstantioribus seminariis educarentur, Nobis propterea humiliter supplicarunt, ut super mensæ illius abbatialis, quamvis illa in actu annexionis a Pio PP. IV. prædecessore nostro a quavis impositione immunis reddita fuerit, atque omnium beneficiorum, etiam quibus cura imminet animarum, et bonorum ecclesiasticorum in ejusdem abbatiæ territorio existentium, fructibus, juxta concilii Tridentini, et Romani anno jubilæi MDCCXXV. celebrati, ac litterarum felicis record. Benedicti PP. XIII. prædecessoris nostri incipientium = *creditæ* =, dispositiones, annuam taxam imponere; necnon in ipsius taxæ supplementum tria infrascripta perpetua simplicia et personalem residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica, in territorio ejusdem abbatiæ fundata, quorum collatio provisio et omnimoda alia dispositio, juxta litteras recol. mem. Pii PP. IV. prædecessoris nostri, personis idoneis, ad instar beneficiorum ecclesiasticorum, beneficiatuum et clericatuum nuncupatorum in dicta basilica existentium, ac pro tempore existentes ipsius basilicæ archipresbyterum ac capitulum et canonicos, turno conferendi inter archipresbyterum pro una, ac capitulum et canonicos prædictos pro altera vicibus, per hebdomadas diviso spectat et pertinet; unum videlicet sancti Josephi in ecclesia sancti Rufilli Foripompilii, modo per obitum quondam Matthæi Sendi ultimi illius possessoris vacans, tunc in turno conferendi existente venerabile fratre nostro Henrico Benedicto Maria Clemente episcopo Tusculano sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinali duce Eboracense nuncupato ipsius basilicæ archipresbytero, qui, eo quo flagrat singulari zelo, capituli et canonicorum votis obsecundans, a dicti beneficii collatione se abstinuit: alterum vero sub invocatione seu ad altare sancti Jacobi de Monda nuncupatum, quod dilectus filius Petrus Antonius Tioli presbyter cappellanus secretus et familiaris noster: tertium demum sub titulo sancti Jacobi de Tombis, quod dilectus etiam filius Laurentius Brandi clericus seu presbyter respective obtinent, ut infra, supprimere, quæque ad fidelem proventuum administrationem, necnon alumnorum delectum, eorumdemque progressum in literis ac pietate maxime opportuna viderentur, constituere dignaremur.

Pontifex approbat ad optatum effectum impositionem specialis taxæ ex bonis ecclesiasticis.

§. 4. Nos igitur, qui idcirco in hac sede divinitus locati sumus, ut ex ea, quadam veluti specula, fidelibus quidem omnibus, sed iis maxime pastoralis nostræ sollicitudinis curam impenderemus, qui a Deo vocantur, ut sint presbyteri in populo Dei, a quibus pendet anima illorum: propterea, capituli et canonicorum prædictorum studium magnopere collaudantes, iisdem libenter concedimus, quinimmo expresse præcipimus et mandamus, ut ipsi, per eorum vicarium in territorio abbatiæ Foripompilii in spiritualibus generalem, cum consilio duorum ex collegiatæ ecclesiæ sancti Rufilli canonicis, et aliorum duorum de clero oppidi Meldulæ, ex fructibus integris mensæ abbatialis et

parochialium ecclesiarum, necnon beneficiorum quorumcumque, etiam quorumvis ordinum et militiarum, etiam hospitalium, regularium, etiamsi jurispatronatus cujuscumque fuerint, et illa per quoslibet etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, necnon etiam nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et cameræ nostræ apostolicæ clericos, ministros, et officiales quoscumque, præsentes et futuros, modo obtineantur, et in posterum obtenta fuerint; necnon aliis fructibus in dictæ synodi decreto, et enunciata constitutione Benedicti prædecessoris prædicti contentis, taxam juxta ejusdem constitutionis formam, personæ ut infra deputandæ annuatim libere persolvendam, absque nova nostra et sedis apostolicæ licentia et approbatione, ad infrascriptum effectum tantum, auctoritate nostra, perpetuis futuris temporibus imponant et præfigant.

Itemque suppressionem trium beneficiorum.

§. 5. Quoniam vero taxæ hujusmodi impositio ut præfertur facienda, impar erit ad plures alendos alumnos, eorum sustentationi quantum in Domino possumus consulere volentes, primodictum ut præfertur vacans, cujus LX. ex nunc; secundo vero et tertio dicta beneficia, quorum cujuslibet XXIV. ducatorum auri de camera respective fructus redditus et proventus, secundum communem æstimationem, valorem annuum ut accepimus non excedunt, ex nunc prout ex tunc, et cum primum illa per cessum, etiam ex causa permutationis, etiam in nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus faciendæ, vel decessum seu privationem aut dimissionem vel amissionem dictorum Petri Antonii et Laurentii, aut alias quovis modo apud sedem apostolicam, etiam ex quocumque decreto vacationis, seu cessationis juris, vel in aliquo ex mensibus Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti sedique apostolicæ prædictæ, per constitutiones apostolicas, seu cancellariæ apostolicæ regulas editas vel edendas, vel alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus per easdem apostolicas constitutiones, aut cancellariæ prædictæ regulas, aut alia privilegia et indulta concessa hactenus et in posterum concedenda competentia, vacare contigerit; etiamsi actu nunc ut præfertur, aut alias quovis modo, quam etiamsi quævis ex illo generalis reservatio quamvis in corpore juris clausa resultet, præsentibus haberi volumus pro expresso; etiamsi Petrus Antonius et forsan Laurentius, noster aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cujusvis S. R. E. Cardinalis familiares, continui commensales, seu Romanæ curiæ officiales, vel alias quamcumque reservationem seu affectionem quomodolibet inducentes extiterint, aut assequutionem aliorum beneficiorum eis quavis auctoritate collatorum, vacent; etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque beneficia dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservata existant, et super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa: illorumque titulum collativum, naturam, et essentiam, itaut, quoad primodictum ex nunc, quo vero ad secundo et tertio dicta beneficia, ex nunc prout ex tunc, et cum primum ut præfertur vacaverint, collativa esse desinant, et uti talia in titulum collativum conferri non possint, apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium perpetuo supprimimus, et extinguimus; ita quod liceat personæ a capitulo et canonicis dictæ basilicæ ut infra deputandæ, quoad primodictum ex nunc, quo vero ad secundo et tertio dicta beneficia, cum primum ut præfertur vacaverint, corporalem realem et actualem omnium et singulorum dictorum beneficiorum, bonorum et annexorum, juriumque et pertinentiarum prædictorum, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; fructus autem redditus, et proventus beneficiorum, ut præfertur suppressorum, percipere, exigere, levare, ac in infrascriptum usum convertere, supportatis tamen omnibus et singulis beneficiorum prædictorum oneribus.

Ex redditibus approbatæ taxæ, et suppressorum beneficiorum jubet Pontifex ut totidem juvanes alantur in aliquo ecclesiastico seminario.

§. 6. Porro, cum ex proventu taxæ super abbatialis mensæ et beneficiorum omnium ac bonorum in dicto territorio existentium fructibus imponendæ, atque ex primodicti, et subinde ex secundo, et tertiodictorum beneficiorum ut præfertur suppressorum bonis, is adolescentium numerus, quem reddituum quantitas feret, in seminariis ecclesiasticis alicujus civitatis illarum partium educari et erudiri debeat; iisdem capitulo et canonicis per præsentes injungimus, ut proventus hujusmodi in substentationem adolescentium integre et non in alios usus convertant, et absumant, propterea que aliquam ecclesiasticam personam in administratorem bonorum et exactorem taxæ deputent. Ille quoque alimenta seminariis, in quibus

juvenes degent, persolvet, atque onera etiam missarum, et alia si quæ essent, beneficia ut præfertur suppressa alias obtinentibus, incumbentia adimplere curabit. Verum annis singulis pro tempore illic existenti vicario capituli et canonicorum prædictorum in spiritualibus generali, cum interventu eorumdem duorum canonicorum, et aliorum duorum de clero, integram exactamque rationem reddere debeat et teneatur, atque de œconomico statu totius administrationis, etiam annis singulis, capitulum, et canonici prædicti reddantur instructi.

Normæ prebentur pro alendorum puerorum admissione.

§. 7. Quo vero ad numerum adolescentium, seminariorum selectionem, ac tempus permansionis in iis, et quidquid ad totius rei directionem visum fuerit opportunum, demandandi, plenam dictis capitulo et canonicis pro tempore existentibus tribuimus facultatem: statuentes nihilominus, quod electio futurorum alumnorum, prævio examine coram vicario prædicto faciendo, expleatur; quodque ipsi alumni ad presbyteratum temporibus debitis se promoveri facere, idoneamque cautionem reddendi alimentorum sumptus, in eventum quod ad laicalia vota aspirarent, aut vilibus ministeriis addicerentur, præstare debeant, et teneantur.

Pontifex bona, et redditus ut supra assignatos, ab omni liberat impositione.

§. 8. Cæterum eorumdem capituli et canonicorum, necnon, ut major adolescentium numerus omni tempore in dictis seminariis ali queat, ipsos capitulum et canonicos, et administratorem ab eis deputandum, bonaque beneficiorum ut præfertur suppressorum, a quavis solutione et contributione dimidiæ annatæ, et quindenniorum, et aliorum quorumcumque jurium, collegiis officialium de annatis participantium, et cameræ nostræ apostolicæ, ratione beneficiorum suppressionis, eorumque fructuum redituum et proventuum applicationis, quomodocumque debitorum, deinceps et in perpetuum etiam tenore præsentium liberamus, absolvimus, et eximimus, ac liberatos, exemptos, et immunes esse, neque ad aliquam solutionem annatæ seu quindenniorum propterea faciendam, teneri, aut obligatos existere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Ipsas quoque præsentes literas ullo umquam tempore, et ex quavis causa quantumvis juridica et legitima, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, annullari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque juris vel facti aut gratiæ remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus limitationibus derogationibus aut aliis dispositionibus, etiam per Nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem apostolicam, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, vel vicelegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, respective decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus Lateranensis concilii, suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure præfixis fieri prohibentis, et dicti Pii prædecessoris, aliisque apostolicis, nostrisque et cancellariæ apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, et de exprimendo vero annuo valore in suppressionibus, ac de causis committendis ad partes, vocatis quorum interest; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quibusvis concessis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum latissime et plenissime hac vice dumtaxat derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Peculiares dispositiones quoad beneficia suppressa.

§. 11. Volumus autem, quod dicti Petrus Antonius et Laurentius, in

præjudicium suppressionis hujusmodi, secundo et tertio dicta beneficia in manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel cujusvis alterius, seu etiam coram notario publico et testibus, vel alias quomodolibet in cujuscumque personæ favorem, etiam ex causa permutationis, resignare vel cum aliquo desuper concordare nequeant; quodque resignationes, aut concordiæ hujusmodi si fiant, in suppressionis hujusmodi, et in præmissorum, non tamen aliorum favorem, factæ sint, et esse censeantur.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri præcepti, mandati, suppressionis, extinctionis, facultatum, concessionis, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis octobris pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 2. Octob. 1767. Anno X.

## DCXXXVII.

Dies festos imminuit pro civitate, et diœcesi Arborensi, servata tantummodo obligatione audiendi missam.

Venerabili fratri archiepiscopo Arborensi.

Clemente Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Sancta Sedes consuevit ea attemperare quæ nec præceptis Evangelicis, nec Sanctorum Patrum auctoritati adversantur.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro conditione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præcepfis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut perfrigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore, contemnuntur.

Preces porrectæ pro festorum dierum reductione.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitate, Diæcesis Arboren. adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ab excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex designatis peculiaribus diebus in quibus integra servanda est observantia, cæteras festivitates imminuit, servato tantummodo audiendæ Missæ præcepto.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandum, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per presentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebi dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diæcesis existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptio-

nis, nec non Sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus, integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diœcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diæcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritatibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

## DCXXXVIII.

Dat. die 2. Octob. 1767. Ann. X.

Idem imminutionis dierum festorum indultum pro diœcesi Turritana elargitur.

Venerabili fratri Archiepiscopo Turritano.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam beneditionem.

Quædam in Ecclesiastica disciplina sunt, quæ pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patruum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscentiæ angore, contemnuntur.

Preces porrectæ pro festorum dierum reductione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitate, et diœcesi Turritana adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolæque, ac præsertim ii qui in sudore vultus sui panem comedunt persæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, peculiaribus designatis festivitatibus plene servandis, in reliquis indicto onere audiendi Missam.

§. 3. Nos itaque qui christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem ino-

pes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diœcesi existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis, Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diæcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ulla prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

*Derogatio contrariorum.*

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diæcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis, clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die secunda octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

## DCXXXIX.

*Dat. die 2. Octob. 1767. Anno X.*

Idem imminutionis dierum festorum indultum pro Diæcesi Vssellensi elargitur.

Venerabili fratri Episcopo Vssellensi

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

*Apostolica Sedes consuevit in rebus disciplinaribus indulgere quod præceptis Evangelicis, et Sacrorum Patrum decretis minime adversatur.*

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patruum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta; aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore, contemnuntur.

*Preces porrectæ pro festorum dierum imminutione.*

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitate, et diæcesi Vssellensi adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri

illorum habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, dies festos imminuit sub præcepto audiendi Missam, cæterosque dies designat religiose servandos.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diæcesi existentibus, ut deinceps, exceptis **omnibus diebus dominicis, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non Sancti Patroni**, aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diæcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diæcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die secunda Oct. MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

---

## DCLX.

Dat. die 2. Octob. 1767. Anno X.

**Idem imminutionis dierum festorum indultum pro Diæcesi Algarensi elargitur.**

**Venerabili fratri Episcopo Algarensi.**

**Clemens Papa XIII.**

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices rigorem disciplinæ temperarunt pro consideratione ætatum, et pro necessitate rerum.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro conditione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes

pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore, contemnuntur.

Preces porrectæ pro festorum dierum imminutione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitatibus, et diæcesibus Algarensi, et Civitatensi adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex dies festos imminuit servata lege audiendi Missam, cæterosque dies designat religiose servandos.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diæcesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti Patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diæcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diæcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die secunda Octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 2. Oct. 1767. Anno X.

## DCXLI.

**Idem imminutionis indultum pro Diæcesibus Ampuriensi, et Civitatensi invicem perpetuo unitis elargitur.**

Venerabili fratri Episcopo Ampuriensi et Civitatensi ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Multa sunt in Ecclesiastica disciplina, quæ pro conditione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperare.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro conditione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patruum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore, contemnuntur.

Preces porrectæ pro festorum dierum imminutione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitatibus, et diæcesibus Ampuriensi, et Civitatensi adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex dies festos imminuit, servata tamen audiendi Missam obligatione, cæteros vero pecu-liariter designat in quibus integra manet præcepti observantia.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diæcesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti Patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diæcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diæcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam

derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die secunda Octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 7. Novemb. 1767. Ann. X.

## DCXLII.

Electi Romanorum Imperatoris adjutrices opes requirit pro afflictis catholicæ religionis rebus in regno Poloniæ.

*De hac ipsa rerum ecclesiasticarum eversione in Poloniæ Regno agunt quamplures pontificiæ Literæ superius relatæ, quarum postrema hoc Tom. III. sub num. DCXXXII, quæ videnda est, cum adnotatione ibidem annexa.*

Carissimo in Christo filio nostro Josepho in Romanorum Imperatorem electo.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Dissidentium designat conatus, quibus persequutionem patiuntur obsistentes pro catholica fide.

§. 1. Afflictæ in Poloniæ regno prostrataeque res catholicæ Ecclesiæ magnam ex oculis nostris eliciunt vim lacrimarum. Qui enim possumus sine fletu rei catholicæ statum in illo regno contemplari? Ortodoxam gentem veræ fidei tenacissimam, et pro ea defendenda nihil non recusantem videmus desertam ab omnibus, et si qui de eadem gente vel in Ecclesia, vel in republica primores, dissidentium consiliis et conatibus strenue obsistebant, nunc ad Nos pervenit rumor, ab Ecclesiæ et reipublicæ sinu eos avulsos ebreptosque raptari eo terrarum, ubi laboranti catholicæ religioni nullam ferre opem queant.

Imperatoris romanorum auxilium requirit

§. 2. Sed tamen, carissime in Christo fili noster, in cæsaream majestatem tuam adhuc respicimus, cui cum ex augusta dignitate proprium munus sit catholicam tueri Ecclesiam, vehementer confidimus, te tacitas non prætermissurum injurias, quibus non tam Polonæ reipublicæ libertas opprimitur, quam ipsa nostra sacrosancta Religio. Nec animum inducere possumus te omisso animo tantam Ecclesiæ spectaturum calamitatem. Rogamus te, carissime in Christo fili noster, ut ad pietatis tuæ sensus, quos ex hoc misero Ecclesiæ statu non dubitamus in te vehementer excitari, religiosissimum animum tuum adjicias, et Ecclesiæ catholicæ in tanta ejus ærumna, re, consilio, et ope succurras. Nec audias, si qui te deterrent ab adjuvanda Polona republica, cujus rebus minime si opportunum te implicari Ecclesia una est toto terrarum orbe diffusa, ubi non est nec Judæus, nec Barbarus, nec Schyta, sed omnes sunt Christi. Adjuvanda est igitur a cæsarea majestate tua ubicumque terrarum persecutionem patiatur, eique quoquo modo subveniendum. Nos quidem non cessamus diu noctuque in humilitate cordis nostri rationibus iram Domini placare, quod unice auxilium Ecclesiæ ferre possumus in his malis. Vestrum est, quibus Deus maximas opes tribuit et potentiam, unde vobis oritur summa auctoritas, minime pati sanctam matrem vestram tam atrocibus injuriis pati. Deum omnipotentem confidimus, carissime in Christo fili noster tibi affuturum, ut ea in hac re capias consideralia, quæ Ecclesiæ sint salutaria, solidamque tibi tuoque augusto nomine dignam gloriam pariant. Et cæsareæ majestati tuæ, quam in visceribus gerimus charitatis intimo paterni amori nostri affectu apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima Novembris MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

cui proprium est catholicam Ecclesiam defendere.

Dat. die 7. Novemb. 1767. Anno X.

## DCXLIII.

De eodem argumento agit cum Maria Theresia Romanorum Imperatoris matre.

Carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ reginæ apostolicæ nec non Bohemiæ reginæ illustri in Romanorum Imperatricem electæ viduæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia nostra salutem, et apostolicam benedictionem.

Infelicem Religionis statum in regno Poloniæ describit, et persequutiones quas patiuntur qui dissidentium conatibus resistere sunt adnisi.

§. 1. De catholicæ Religionis statu in Poloniæ regno vehementer sollicitos, et de extraordinariis comitiis, unde eamdem Religionem in præsenti rerum discrimine merito existimabamus suas rationes habere suspensas, magnopere trepidantes horribilis Nos ex improviso perculit rumor, fortissimos rei catholicæ in eo regno propugnatores, ubi perspectum est, nullis quamtunvis atrocibus minis posse perterrefieri, et vitam fuisse potius amissuros, quam a vera defendenda religione destitutos, a Moschorum copiis violenter captos, et a patria sede abstractos abreptosque raptari, quo terrarum incertum, ne in comitiis quis quam amplius sit, qui pro catholica re invicto animo se objiciat dimicationibus dissidentium. Quo nihil injurium magis, nihil atrocius: nobilissimus regni præses, venerabilesque episcopos eosdemque primarios in republica senatores per vim non modo a publico removeri consilio, sed armata manu a reipublicæ sine avulsos abigi et asportare quo libitum fuerit eorum inimicis, qui tamen a Polona republica plane extranei nullo jure (quod maxime est omnium intollerabile) sese in polonicis rebus implicaverunt. Illud autem omnium maxime dolemus, neminem fuisse adhuc neque esse catholici nominis, qui potens opibus et potentia has injurias ab Ecclesia curaverit amolliri.

Imperatricis auctoritatem, et patrocinium requirit in tanta religiosarum rerum angustia.

§. 2. Quamobrem in ea re Dei et Ecclesiæ honorem tœdissime proculcatum, nudatam defensoribus religionem, dejectos catholicorum animos et Religionem in manu inimicissimorum desertam, amare deflentes ad regiam majestatem tuam, carissima in Christo filia nostra, quæ tam multa tamque præcipua Deo et Jesu Christo ejus filio debes, confugimus, et universæ Ecclesiæ nomine præpotentem opem a te imploramus ad labentem in Poloniæ regno catholicam fidem ea qua potes ratione sustentandam. Magnam regiæ majestati tuæ auctoritatem maximæ tribuunt opes, et longe lateque diffusa potentia. Quam auctoritatem tuam si alacriter adhibueris, et diserte profiteare minime placere tibi, sic catholicæ Religioni illudi, et catholicis ipsis fraudi esse in sua ipsorum patria pro eo ac debent religionem quæ regnat, et quam profitentur defendere, magnopere confidimus ejusmodi regis animi tui significatione plurimum de furore inimicorum Ecclesiæ restinctum iri. Sed nostrum non est quid in ea re facto opus sit regiæ majestati tuæ suggerere. Illud tuto possumus affirmare, quidquid consilii, auxilii, et opis ad hanc rem impenderis, Deum, carissima in Christo filia nostra, augendis tuis opibus et potentia regiæ majestati tuæ centuplum redditurum. Nos interea Deum enixissimis orationibus obsecrabimus, ut eam tibi det mentem, qua tibi persuadeas unam ubique terrarum esse S. Ecclesiam, eamque ubicumque laboret, ab iis præsertim qui maxime pollent opibus et potentia adjuvandam recreandamque; nec temporalibus rationibus, quæ ex regnorum divisione oriuntur, æternam illam rationem posse pervinci, nimirum ab omnibus qui Christo suum dederit nomen sanctam ejus Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo defendendam ubique conservandamque, atque etiam augendam et propagandam quo quisque poterit modo. Et regiæ majestati tuæ quam paterni cordis nostri præcipua prosequimur charitate, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima Novembris MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 26. Novemb. 1767. Anno X.

## DCXLIV.

Alumnis collegii Anglorum Duacensis indulget, ut extra tempora ad ordines promoveri possint, et absolvi a censuris.

Dilecto filio Gulielmo Green moderno, ac pro tempore existenti rectori collegii Anglorum Duacensis.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili, salutem, et apostolicam benedictionem.

De tua singulari fide, prudentia, et doctrina plurimum in Domino confidentes, ea tibi concedenda duximus, quæ infrascripti collegii, ac alumnorum illius commodo, et utilitati profutura esse cognoscimus. Itaque de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa republica christiana contra hæreticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede apostolica specialiter deputatorum consilio, tibi moderno, ac pro tempore existenti rectori ad quinquennium proximum tantum, et interim quamdiu rectoris munere in isto collegio Anglorum Duacensi fungeris, seu rector hujusmodi pro tempore existens fungetur. Quo ipsius scholares alumni post longos studiorum labores, sacerdotali ministerio pro loci, ac temporis necessitate fungi, et functionibus sacris assuescere, ac ecclesiæ dicti collegii officia divina præstare, seu uti operaris fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, ut de tuo consensu, et examine præcedente, ac absque literis dimissoriis suorum ordinariorum, ac non obstante quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, clericali militiæ adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis, ac continuis, vel interpolatis, seu unica diebus ad quatuor minores, nec non tribus dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio tuo definiendo interpolatis) etiam absque ullo beneficii, seu patrimonii titulo ad sacros etiam presbyteratus ordines extra tempora a jure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro concilio Tridentino designatis, ac absque eo, quod antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primoque suscepto ministrare, aut alicujus servitio ecclesiæ adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere, et licite valeant, concedere, et indulgere; nec non tibi, ut per te, vel confessorem idoneum, quem eligendum duxeris, singulos alumnos prædictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, aut causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, a quibusvis peccatis, et excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus die cœnæ Domini legi solitis consuetis (conspirationis in personam, vel statum romani Pontificis, falsitatis literarum, et scripturarum apostolicarum, delationis armorum aliorumque prohibitorum ad partes infidelium, ac injectionis manuum violentarum in prælatos dumtaxat exceptis) absolvere, et pro commissis pœnitentiam salutarem, ac alia injungere eis, et cum illis super irregularitate per eos quomodolibet (præter quam occasione homicidii voluntarii, bigamiæ, hæresis) contracta dispensare libere, et licite valeas, dictusque rector pro tempore existens valeat, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Præsentibus post lapsum quinquennii hujusmodi minime valituris. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta Novembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 5. Decemb. 1767. Anno X.

## DCXLV.

Nobili viro Comiti de Kaunitz intimo Imperatoris Romanorum consiliario significat expulsionem clericorum regularium Societatis Jesu ab utraque Sicilia, ejusdem provocat officia penes cæsaream majestatem.

*De persequutionibus perpessis a clericis regularibus Societatis Jesu plurimas dedimus pontificias epistolas, quarum postrema hoc Tom.III.sub N.589, qaæ videnda ad opportunitatem est cum adnotatione ibidem apposita.*

Dilecto filio nobili viro Comiti de Kaunitz.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

De hac ipsa re certiorem fecisse Imperatricem Mariam Theresiam Pontifex enunciat.

§. 1. De clericorum regularium Societatis Jesu calamitate, qui utraque Sicilia sunt exturbati, nobilitas tua jam cognoverit. Qua vero ratione e Neapolitano regno in nostram ecclesiam ditionem fuerint compulsi, ibidem non ignoras. Sed quoniam, cujus maxime interest, illi quivis existimet factum illud esse exploratius, ven. fr. Archiep. Ephesino apud istam cæsaream aulam apostolico nuncio injunximus, ut carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ reginæ apostolicæ destinctæ, fideliterque, exponat, quemadmodum, et quam contra jus et fas, et quanto cum nostrae pontificiae in Ecclesia auctoritatis contemptu, quanta etiam despectione majestatis summi nostri in Eclesiasticam ditionem imperij ea res gesta sit. De qua propterea scribendum existimavimus eidem carissimæ in Christo filiæ nostræ, cujus pietati et in hanc sacram B. Petri sedem devotioni minime placere arbitramur cum visibili Ecclesiæ capite agi tam indignis modis.

Imperialis consiliarii provocat officia penes Cæsaream majestatem ut reparationem obtineat læsæ pontificiæ majestati.

§. 2. Quot quantasque graves injurias in spiritualem temporalemque potestatem hæc complectatur injuria, pro sapientia tua, dilecte fili nobilis vir, facile intelliges, ubi totam facti narrationem a memorato Nuncio nostro explicatam habueris. Rogamus nobilitatem tuam, ut apud memoratam reginam apostolicam consilia officiaque tua omnia eo conferas, ut læsæ dignitati Nostræ, quemadmodum æquum est, ab iis qui eam tanto cum contemptu collabefecerint, satisfiat. Existimamus omnium presentium maxime interesse, ne pessimi exempli imitatione lex quodammodo constituatur, ut qui fortior sit ei liceat quisvis, quod libitum sibi fuerit, in aliena ditione designare. Permulta alia sunt quæ possumus gravissime conqueri. Sed nunc de injuria, quæ inter eas, quas in hac una re accepimus, certe non est omnium maxima, petimus, ut vulnus nostro in ecclesiasticam ditionem imperio inflictum sarciatur. Prudentiam tuam tuumque justitiæ amorem minime nosse videremur, si vel te excitando vel quo ea res pertineat admonendo prolixius nobilitati tuæ scriberemus.

Societatem Jesu jam multo divexatam commendat imperiali consiliario.

§. 3. Sed in tanta clericorum regularium Soc. Jesu calamitate, ipsi Nobis temperare non possumus, quin eamdem Societatem tantopere divexatam tibi, dilecte fili nobilis vir, commendemus majorem in modum. Si quidem ex omni natione venerabiles fratres episcopi de illius Societatis incolumitate solliciti, testes nobis fuerunt, in suis quosque diœcesibus ad animas sanctificandas magnas ab iis capere utilitates; et ipsi nostris oculis cernimus, eos qua hic habemus, accurate pii sui instituti rationem sequi. Tuam vero opem illis non defuturam confidimus, quod eosdem ibidem apud vos tales esse et existimari comperimus, quales esse oportet, qui juventutem religione et bonis artibus erudire profiteantur, et sacramentis administrandis, Deique verbo annunciando omnem suam operam præbeant. Tibique, dilecte fili nobilis vir, quem ob maximarum rerum usum sapientiam, atque pietatem magni facimus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta Decembris MDCCLXVII, Pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 5. Decemb. 1767. Anno X.

## DCXLVI.

De eodem argumento agit cum comite Colloredo Imperatoris Romanorum consiliario.

*Vide epistolam præcedentem, et adnotationem in ea appositam.*

Dilecto filio nobili viro comite Colloredo.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir, salutem, et apostolicam benedictionem.

Injuriam acceptam ex expulsione clericorum regularium societatis Jesu ab utraque Sicilia Pontifex enunciat.

§. 1. Cum ex utraque Sicilia clerici regulares societatis Jesu pulsi sunt in exilium, duplicem ex ea re injuriam accepimus; quarum altera magnam contentionem habet et despectionem nostræ in Ecclesia apostolicæ potestatis; altera summi nostri in ecclesiasticam ditionem imperii majestatem imminuit. Duplicem hanc potestatem nostram gravissime læsam nobilitas tua intelliget e sermone, quem de hoc acerbissimo casu tecum habebit ven. frater Antonius Eugenius Archiepiscopus Ephesinus apud istam cæsaream aulam apostolicus nuncius noster, qui ejus facti narrationem latius tibi esponet et explicatius. De injuria pontificiæ potestati nostræ, iniusta quamquam longe gravior est, quam quæ temporali nostro imperio inflicta est, nunc non est animus conqueri; non quo in ea leviorem experiamur acerbitatem, sed contra cum longe Nobis videatur acerrima, idcirco eam querelam in alium præcipuum locum et tempus reijcendum existimamus.

Specialiter hic de injuria illata temporali Pontificis potestati queritur, et hac de re romanorum Imperatori literas misisse significat.

§. 2. Nunc autem de altera injuria querimur, qua despecta, et propemodum pro nihilo habita est temporalis nostra potestas in loca ecclesiasticæ ditionis nostræ; de qua injuria scribimus ad cæsaream majestatem carissimi in christo filii nostri Josephi, qui pro summa, quam in christiana republica oblinet dignitate, Romanæ Ecclesiæ protector et advocatus eam præter ceteros catholicos principes tueri debet, ejusque temporalem ditionem, quam potissimum ejus constituitur patrimonium, defendere ad hanc rationem, quæ illi præcipua est, quamobrem Nobis opitulari velit, ut illata Nobis injuria sarciatur, accedit alia causa, quæ illi cum ceteris principibus est communis. Si enim id jus esse debet, quod illi placitum fuerit, qui viribus sit edictior, facile quivis intelligit nullam esse cuique principi securitatem. Atque hæc nobilitati tuæ leviter attingimus, tum quod pro eximia sapientia tua arbitramur satis te quod volumus assequi, tum quod uberius hac de re tecum loquetur memoratus Archiepiscopus ephesinus.

Cæsareum hortatur consiliarium, ut sua officia interponat ad consequendam, illatarum injuriarum sarcitionem, eique societatem Jesu comendat.

§. 3. Itaque, qui cæsareæ majestati consiliorum socius et comes hanc causam, ut putamus, cognosces, te, dilecte fili nobilis vir, in Domino rogamus et obsecramus, ne Romanam Ecclesiam, quantum consilio vales et gratia, patiaris desertam cum tanto dedecore et probro. Sed de pietate tua erga hanc Ecclesiam et devotione, deque tuo in justitiam studio, et amore ea Nobis opinio et fiducia est, ut pro certo habeamus, nulla te studia et officia prætermissurum, quo tanta Nobis facta injuria eo modo quo par est, revellatur. Neque tamen de temporalibus Ecclesiæ rebus tantopere sumus solliciti, ut spiritualia ejus mala obliviscamur. Gravissima enim adsidue urimur aegritudine, quod nunc, cum maxime inimicus homo in dominico agro superseminat zizania, ab eo colendo perpurgandoque propellantur clerici regulares Soc. Jesu, quorum operam tamen ecclesiasticæ esse frugiferam et ipsi Nos testes sumus, et ex omni fere lingua et natione plurimi Episcopi Nobis per literas gravissimum testimonium perhibuerunt. Hos tibi, dilecte fili nobilis vir, summopere volumus commendatos; atque eo fidentius speramus illis tuam opem non defuturam, quod intelleximus illos isthic apud vos non eo quo alibi, odio flagrare, nec eos esse, quales in regionibus unde pulsi fuerunt. Magnæ sint vires oportet magnaque solertia in iis, qui Societatem illam defendendam suscipiant; non enim modo validissimis opibus, sed clanculum et per cuniculos indesinenter oppugnatur. Quamobrem talibus, cujusmodi es defensoribus opus est eidem Societati; qui sapientia æque polles ac auctoritate et apud augustum principem gratia. Tibique, dilecte fili nobilis vir, intimo paterni cordis nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die quinta Decembris MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

## DCXLVII.

Dat. die 21. Decemb. 1767. Anno X.

Indulgentia plenaria elargitur christifidelibus visitantibus Ecclesiam fratrum ordinis S. Francisci conventualium die 18 Septem. cujusque anni sacra B. Josepho a Cupertino nuper in sanctorum numero adlecto

*Literæ apostolice canonizationis B. Josephi a Cupertino relatæ a nobis sunt hoc Tom. III. sub Num. DCXVIII.*

Clemens PP. XIII.

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris, et domini nostri Jesu Christi, qui gloriosos, et saluberrimorum, quæ nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, et cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, et fovendam erga eosdem beatos cœli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem sanctissimæ, et individuæ Trinitatis, ad exaltationem catholicæ fidei, et christianæ religionis incrementum de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporumque in Urbe nostra xistentium consilio beatum Josephum a Cupertino confessorem, ac ordinis fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupat. Professorem auctoritate Nobis a domino tradita sanctum esse decreverimus, et definiverimus, ac sanctorum cathalogo solemni ritu adscripserimus: hinc est, quod Nos ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum, monasteriorum, et domorum regularium tam fratrum, quam monialium prædicti ordinis sancti Francisci conventualium nuncupat. hactenus erectis, et in posterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus die decima octava mensis Septembris festo ejusdem S. Josephi a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxi. Decembris MDCCLXVII. PontificatusNostri anno decimo.

---

## DCXLVIII.

Dat. die 23. Decemb. 1767. Anno X.

Confirmatur præcedens rescriptum, quo indulgetur ut in quavis ecclesia ordinis fratrum minorum S.Francisci cappuccinorum in provincia Picena, celebrari valide possint missæ, quæ in ecclesia conventus Gradaræ ejusdem ordinis, et provinciæ integre celebrari intra annum nequeunt.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur causa præcedentis pontificii rescripti, cujus tenor refertur.

§. 1. Alias pro parte tunc existentis ministri provincialis ordinis fratrum minorum sancti Francisci cappuccinorum nuncupatorum provinciæ Picenæ Nobis exposito, quod conventus loci de Gradara nuncupatus Pisaurensis diæcesis ordinis, et provinciæ prædictorum ex dispositione quondam Ubaldi Cervini pluribus abundabat eleemosynis missarum in altari, apostolico privilegio decorato, celebrandarum; e contra vero alii circumstantes conventus dictæ provinciæ hujusmodi eleemosynis missarum ita indigebant, ut eorum necessitatibus occurri minime posset: qua de re missas, quæ in ecclesia dicti conventus ad hujusmodi altare celebrari nequibant per ministrum provincialem pro

tempore existentem memoratæ provinciæ, ejusque definitorium in aliis altaribus simili privilegio decoratis ecclesiarum conventuum ejusdem provinciæ, qui hujusmodi eleemosynis magis indigebant, celebrari facere posse summopere desiderabat. Nos, omnibus perpensis, rescribendum mandavimus quemadmodum sequitur, videlicet » Ex » audientia SSmi diei 7 Decembris 1763. » Sanctissimus, attentis expositis, ac » visis super iisdem informatione, et » voto, ut supra, P. provinciali, ac ejus » definitorio introscriptæ provinciæ Pi» cenæ pro tempore existen. opportunas, » et necessarias facultates tribuit ad » hoc, ut eas omnes missas, quas in» troscripti conventus Gradaræ religiosi » in satisfactionem indicati oneris ad » enunciatum altare per annum cele» brare non poterunt in aliorum con» ventuum ejusdem provinciæ Picenæ » ecclesiis, ac præsertim in iis, quæ » missarum eleemosynis magis indi» gent, ad altaria tamen apostolico » privilegio decorata celebrari facere » possint, et valeant. Dummodo supe» riores locales hujusmodi conventuum » respective prædicto provinciali, ejus» que definitorio pro tempore existen» ti legitima, et authentica documen» ta de exacto missarum adimplemen» to transmittant. Ac servata in reli» quis omnibus voluntate testatoris. « » In quorum, fidem ec. Datum ex di» cta secretaria memorialium hac die » 1. Octobris 1766 » Loco † Signi C. Card. Rezzonico

Preces porrectæ pro præcedentis rescripti confirmatione, quibus Pontifex apostolica auctoritate assentitur.

§. 2 Nuper autem dilectus filius modernus minister provincialis memoratæ provinciæ Picenæ ordinis hujusmodi Nobis supplicari fecit, ut pro majori præmissorum firmitate ea approbare, et confirmare, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præinsertum rescriptum nostrum, ac omnia, et singula in eo contenta, auctoritate nostra apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem, præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, et Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia Decembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus nostri anno decimo.

## DCXLIX.

Dat. die 29. Decemb. 1767. Ann. X.

Cum Cardinali Sersalio conqueritur ab eo nihil Pontifici scriptum de calamitate clericorum Soc. Jesu ab utraque Sicilia expulsorum.

*Vide hac de re epistolam pontificiam relatam superiori num. DCXLVI., et adnotationem in ea appositæ.*

Dilecto filio nostro Antonino tit. S. Pudentianæ presbytero S. R. E. Card. Sersalio nuncupato.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Suum dolorem exprimit pro clericorum regularium societatis Jesu expulsione.

§. 1. Incredibilem Nobis dolorem clericorum regularium Soc. Jesu gravissimus casus, quorum ecclesiis, et domibus noctu ex improviso militari manu circumsessis, ipsi comprehensi totoque isto Regno properantur pulsi in exilium, et ad regni fines abrepti, tandem projecti sunt in ecclesiasticam nostram ditionem. In quo quanta sacræ immunitati ecclesiarum rerum personarumque, quanta potestati Nobis divinitus traditæ, quanta etiam imperio, quod in ditione nostra tenemus, inflicta fuerit injuria, nunc non est animus in his nostris litteris conqueri.

Sed Pontificis dolorem adauxit Cardinalis silentium in tanta calamitate.

§. 2. Sed illud tibi profitemur doluisse Nobis atrociter, quod in tanta calamitate nulla ad Nos notitia pervenerit, nonnihil esse commotum. In ore et oculis tuis violati sacri ministri, profanata loca sacra, in fortunas invasum et bona sanctuarij. Non clam te erat, tuum ipsum vicarium generalem iis conventibus, in quibus tam iniqua consilia suscipiebantur, cum secularibus ministris adesse, et patiebare. Nec tibi certe fuit ignotum, complures ex ecclesiasticis tuis hominibus, eos præsertim, qui præcipuæ pietatis speciem offerentes videntur idcirco arctiore tibi vinculo esse devincti satis ostendisse gravissimo isto casu non mediocriter se delectari, quos tamen minime novimus, a te fuisse reprehensos. Verum siluisse te isthic metu ne a secularis potestatis excideres gratia, profecto mirum, qui non ignoras, quæ scribit Bmus Paulus = *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* = Longe autem major cepit Nos admiratio, quod ea præditus dignitate, qua nulla in Romana Ecclesia præstantior, de tristissimo casu et omnium lacrimis deplorando ne verbum quidem ad Nos scripseris, saltem Nobiscum ut dolorem tuum cum nostro communicares; quem existimare debueras Nos e tanta calamitate acerbissimum accepisse. Hoc, dilecte fili noster, inviti ulcus tangimus. Sed ille est omnium dolor acerrimus in rebus adversis; quo se vehementissime cruciari S. Jobus ostendit, cum queritur = *necessarj quoque mei recesserunt a me* = qui maximus dolor facit, ut Nobis ipsi temperare nequeamus quin hanc de isto silentio tuo proferamus querelæ quod silentium interea vide, dilecte fili noster, quonam tandem pacto cum ea necessitudine quæ inter Nos interest et cum officio tuo erga Romanam Ecclesiam, cui omnia debes; pro tua existimatione possis componere. Et dilectioni tuæ apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris. Die XXIX. Dec. MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCL.

Dat. die 29. Decemb. 1767. Anno X.

Easdem quærimonias Episcopo Aliphano dirigit, eamdemque objurgat, quod in consiliis fuerit eorum, qui Jesuitarum expulsioni operam dederunt.

*Vide epistolam superiorem, et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili fratri Philippo Episcopo Aliphano.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. In ea, quam clerici regulares Soc. Jesu acceperunt in isto Regno, calamitate, gravissimum Ecclesiæ vulnus inflictum vehementer doluimus, et dolemus, qui videamus quanto sit in contemtu ejusdem Ecclesiæ, in iis, quæ divinum cultum sacrasque personas et bona Deo dicata respiciunt, divina potestas. Sed illud omnium acerrime nostrum animum urit quod iis consiliis, quibus agebatur de tanta Ecclesiæ imponenda injuria, eaque subinde confirmanda, novisque rationibus augenda, adesse non verita sit fraternitas

tua, quam tamen ab ejusmodi conventibus longissime abfuisse oportuit. Et sane valde te commovere debent fidelium voces, qui magnam se accepisse clamitant offensionem, quod nonnullos Episcopos ibi adfuisse resciverint, unde tanta ad Ecclesiam injuria pervenerit, eorumque auctoritatem laicæ potestati suffragantem effecisse, ut in res et bona Ecclesiæ eadem secularis potestas violenter irrumperet. Annon eadem S. mater Ecclesia jure quæritari potest = filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me? = Cum autem minime pati possimus, tantam hærere diutius episcopali ordini maculam, sedulo fraternitatem tuam hortemur atque monemus, tibi primum ut consulas, si quid adversus conscientiam tuam feceris, deinde ne amplius sub quocumque prætextu vel absequendi majoris boni, vel fugiendi gravioris malis ad tales conventus in posterum convenire audeas, quo sane venire non possis sine magno Ecclesiæ detrimento, gravissimo fidelium scandalo, turpissimoque episcopalis ordinis dedecore et probro. Tibique ven. frater apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die xxix. Dec. MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 6. Januar. 1768. Ann. X.

## DCLI.

Poloniæ regi iterum de dissidentium loquitur conatibus, et de damnis toto Poloniæ regno quoad Religionem futuris.

*De hac ipsa materia agit epistola relata supra num. DCXXXII. et quamplures aliæ prout ex adnotatione ibidem apposita.*

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto Poloniæ regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Causas designat cur ad novas has epistolas mittendas adigitur.

§. 1. Mirum regiæ majestati tuæ esse non debet, quod in tantis quibus apud vos Religio et res catholica versatur malis, frequentius ad te scribamus. Urget Nos apostolatus divinitus Nobis iniunctum officium; urget erga inclitam gentem præcipuus amor, urget nostra de regio nomine tuo sollicitudo et cura, te ut moneamus in istius Ecclesiæ calamitate quam graviter innumeræ propemodum animæ de æterna salute periclitentur, quanti etiam gloriæ tuæ intersit, ut luculentissima nunc maxime prodas argumenta, a sacrilegis pactionibus gravissimo cum Fidei catholicæ detrimento jamjam fortasse conficiendis, te longissime abhorrere.

Pactiones initæ cum dissidentibus injuriosæ Deo, et Ecclesiæ omnino adversæ.

§. 2. Quid enim ab ejusmodi pactionibus abest, qnin Deo sint injuriosæ, ejusque S. Ecclesiæ prorsus adversæ, regno tuo periculosæ, tuoque imperio subjectis, quorum longe maxima pars catholicæ Fidei tenacissima est, summopere invisæ, regio denique tuo nominæ indignæ? Ita ne vero juxta arcam Domini deinceps isthic Dagon adsideat? Ecquisquam est catholicorum, qui non acerbissime doleat non procul esse, cum Ecclesiam sanctam apud vos occupabit abominatio desolationis? Nullo prorsus Religionis sensu tangi illum oportet, quj non ferat atrociter, id nunc agi, ut qua data porta, in Christi gregem irruant lupi? et quod non sine maximo horrore commemorari potest, contendi, ut indignissimis pactionibus ipse subscribas.

Cuncta subeunda pericula potius quam rem fieri Religioni adversam.

§. 3. Annon subeunda potius omnia pericula, et perferendæ omne genus ærumnæ: annon millies mori præstat, quam reum fieri æternæ damnationis populatissimæ gentis? cujus tu, carissime in Christo filii noster, regnum adeptus non modo vitam et fortunas quovis tuo periculo tueri debes, sed etiam hoc præcipuo officio obstringeris multo validius, ut quidvis laboris et molestiarum, quidvis etiam sustineas ærumnarum, ne populus tuus in catholica fide altus et educatus, tuæque custodiæ concreditus per hanc luctuosissimam vestræ reipublicæ conversionem, infinite quantum pretiosorem mortali et caduca fluxisque mundi fortunis æternam vitam et immortalia bona amittat.

Ad impediendum dissidentium triumphum Rex incumbere etiam debet ex sui extimatione.

§. 4. Et quamquam hæc sunt, quo omnium maxime spectare debet regia majestas tua, ad ipsam tui existimationem etiam respicere debes, et qua es altitudine animi, nihil tibi recusandum, qnominus tui nominis gloria commaculetur. Non dubitamus quin veræ laudis et gloriæ cupidus posteritatis judicium perhorrescas, quæ regnum tuum tanquam epocham constituet, cum, rege te, puncto temporis fuerint deletæ

saluberrimæ leges, quibus constituendis longo seculorum spatio orthodoxa Polonorum Natio tantopere insudavit; factisque pactionibus, quas omnes prædecessores tui invicto animo semper repudiarunt, refracta fuisse omnia repagula, quibus dissidentes coecerbantur, eorumque potestati universam proditam esse catholicam Ecclesiam, et Polonam rempublicam. Semperque, ex quo ista exorta est tam fœda tempestas, existimavimus ipsa tua religio et existimatio talibus et harum similibus cogitationibus regium animum tuum acerrime remorderet.

Quæ futura sint damna obvenientia ex iniqua cum dissidentibus pactione.

§. 5. Quamabrem, carissime in Christo fili noster, cujus in ore et oculis iniquissima isthæc agitantur consilia, considerato illuc rem esse deductam, ut nullus amplius veræ Fidei cultoribus silentio aut dissimulationi relictus sit locus. Id enim agitur, ut regnum Christi minuatur et labefactetur adsidue; contra, regnum Satanæ corroboretur et amplificetur in dies. Omnes latissimi regni istius anguli patebunt errori; nullus intra perpaucos annos erit locus (quæ est diabolica hæresis industria) quo pestilentissima errorum aura non pervaserit. Itaque, carissime in Christo fili noster, in eum te articulum conjecit iniquitas temporum, in quo data tibi optio est, utrum velis esse cum Christo an contra Christum: cujus tamen oraculum non ignoras, qui non mecum, contra me est. Injurius Religionis regioque animo tuo esset quisquis dubitaverit, utrum malit regia majestas tua.

Interest Regiæ majestati, ut palam sit, invito illius animo pactiones religioni injuriosas initas fuisse.

§. 6. Quod si insuperabilis vis et necessitas, quos adhibueris conatus ad hanc Ecclesiæ catholicæ avertendam calamitatem, infregerit, palam sit universæ catholicæ Ecclesiæ iniquas adversus eam pactiones invicto te animo esse aspernatum, easque disertissime repudiasse. Atque id erit tuæ religionis, tuæ fidei, tuæ magnanimitatis nobilissimum monumentum, quo luculenter ostenderis, non sic tibi cordi esse terrenum regnum, ut cum eo celeste regnum commutes, nec regii fastigii te esse tantopere studiosum, ut illud tenere velis cum dedecore et probro. Si id igitur pervincere nequeas, ut falsis religionibus in tuum regnum aditus obstruatur, noli quæsumus, carissime in Christo fili noster, tantam honori, regioque nomini tuo maculam imprimi te vel consentiente catholicam Religionem in isto regno accepisse gravissimam plagam. Et regiæ majestati tuæ apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub anulo piscatoris die sexta Januarii MDCCLXVIII pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCLII.

Dat. die 6. Januar. 1768. Ann. X.

De eodem argumento agit cum Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniæ.

*Vide epistolam præcedentem, et adnotationem in ea appositam.*

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniæ.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

Pontificiam suam sollicitudinem exponit, qua pluries de avertendis immimentibus malis epistolas dedit.

§. 1. Summa, quæ Nobis insidet sollicitudo de universo christiano grege tuendo, et de fratrum nostrorum, qui varias illius partes administrant, curis adjuvandis, pro diversis Ecclesiæ temporibus Nos excitat, ut eosdem sive instruamus, sive cohortemur, seu commoneamus. Perfuncti sane vobiscum sæpe sumus, venerabiles fratres, hujusmodi apostolatus nostri officiis; potissimum ex quo illas animo prævidimus tempestates, quas constari jampridem sentiebamus ad labefactandam regni istius religionem; pro qua sarta tecta tuenda gentis vestræ tam egregia hactenus merita extiterunt. Veruntamen ea, quam verebamur, calamitas jam advenit, graviusque etiam opinionem ac tenore nostro incubuit; propterea et acriore Nationis istius studio nunc commovemur; et, quo pro vestra præsertim salute, qui duces cæterorum estis, inflammamur, ardor pleniorem nunc ac vehementiorem vocem desiderat, ut in animis vestris cælestis illi gratiæ motus excitentur, quam in episcopatus inauguratione divinitus immissam suscepistis, cum hoc certe tempus illud sit, quo supremus paterfamilias debitos ac necessarios suorum munerum fructus a vobis expetat atque adeo efflagitet.

Suum dolorem significat pro iniquis pactionibus cum dissidentibus initis.

§. 2. Incredibili cum dolore accepimus, iniri in isto regno nefarias pactiones quarum pravitate cum errore veritas, lucis splendor cum squallore ac tenebris componatur; ut hæc rerum inter se disjunctissimarum coagmenta-

tio fidelem populum facile ad perniciem impellat, et abominationem desolationis in locum sanctum inducat. Verum ad hunc animi nostri angorem maxima accessio fieret, si in hac rerum perturbatione Episcoporum voces obmutescere, si eorum esse neminem videremus, qui præsto esset ad populorum mentes a contagione revocandas, atque in doctrinæ veritate confirmandas; ac maxime si quis aut metu, aut prava hominibus magis quam Deo placendi voluntate adductus dignitatem atque auctoritatem, quæ vobis omnibus ad defendendam atque ornandam Ecclesiam est tradita, ad eandem opprimendam converteret. Sed nullo modo persuaderi Nobis patiemur, accidere unquam posse, ut in labiis divini verbi prædicatione semel consecratis defutura sit vis atque virtus ad repellendum mendacium, dum in ipso Dei templo sedem sibi audet ac triumphum exposcere; ut manus Christi corporis contrectatione nobilitatæ ad erroris audaciam ac licentiam propugnandam scribendo adhibeantur; ut aures denique suavissimis Ecclesiæ vocibus tantummodo assuetæ, Satanæ fraudes atque insidias auscultaturæ sint. Nihilominus humani generis adversarii molitiones eo usque progressas videmus, ut nihil fere non sit timendum. Atque utinam nonnulli errore ac dolis non adeo sese abripi patiantur, ut, quoniam impares sese agnoscunt ad retinendos, quibus opprimuntur impetus, idcirco pastoralis officii legibus solutos etiam sese censeant: ut abjecta persona ab ipsa Ecclesia sibi imposita, aliaque magistratus ac reipublicæ retenta, ultro illatis sibi detrimentis idem ipsi consentiant, quasi separari ac sejungi geminæ illæ munerum partes possint, neque omnino illam huic præponendam reputare constanter debeant.

Commonet Eiscopos eorum muneris esse, cæcos ad viam veritatis dirigem.

§. 3. Quapropter omnipotentis Dei nomine, cujus vicarium auctoritatem licet indigni sustinemus, hoc vobis declaramus, eum qui in hanc fraudem atque errorem traduci se sinat, cæcum omnino esse, ac cæcis ducatum præbere, et ob nullam ex his quas prætexit, causis excusatum esse posse; et propter ipsam episcopalis muneris ignorationem, a Deo condemnatum iri, ut Oseæ IV 6 x = *quia scientiam repulisti a me repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: oblita es legis Dei tui; obliviscar filiorum tuorum et ego.* = Quamobrem, ven. fratres, nulla ignorantiæ nulla erroris, nulla metus, nulla humanarum rerum ratio vos ab episcopali naviter prosequendo officio removeat. Tametsi hujus sæculi potestatem vires atque copiæ ad Ecclesiæ perniciem ingruant, sacrorum tamen pastorum facta omnia atque consilia ad normam ab evangelicis præceptis, a traditione atque ab ecclesiastica disciplina præscriptam, unice erit dirigenda.

Episeopalis ministerii est omni studio contra dissidentium conatus resistere.

§. 4. Norint siquidem has primas ministerii sui partes esse, ut se ipsi tanquam murum pro domo Israel contra omnes adversariorum impetus firmissime objiciant. Sui se gregis Ecclesiæ ac Dei desertores futuros arbitrentur, si inimicorum fraudibus obsecundarint aut quoquo modo illorum machinationibus connivendo patiendoque consenserint. Maxime quidem instent calamitates, exilia, honorum, fortunarum, vitæ ipsius jactura consequantur. Æquo animo perferant, dum ne ipsæ sacerdotales manus alieni sceleris consensione inquinentur, aut de religionis integritate semetipsis auctoribus quidpiam imminuatur, ac Sanctuarium ipsum contaminetur. Ac sane beatissimus is erit reputandus, qui hac judicis constantia brevem ac fluxam hujus vitæ conditionem cum infinita atque æterna mercede commutare possit, dignusque habeatur, qui immarcescibilem illam coronam accipiat, quam ab optimo pastorum principe paratam illis credimus; qui animas suas pro ovibus suæ fidei commissis posuerunt. Hæc habuimus ven. fratres de quibus in re gravissima atque ad vestram gregisque vestri salutem pernecessaria vos commoneremus Dominus Noster Jesus Christus suæ gratiæ præsidio hos in vobis sensus confirmet atquo roboret, qui vocationi vestræ consentanei sint; paremque vobis ad eam adimpleudam alacritatem atque animi magnitudinem afferant. Dum hanc divinorum vobis munerum ubertatem imploramus, eorumdem auspicem apostolicam vobis benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta Januarii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 6. Januar. 1768. Anno X.

## DCLIII.

Idem argumentum agit cum Gnesnensi Archiepiscopo.

*Vide epistolam supra relatam, et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili fratri Gabrieli Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Maximam in spem se se erexit Pontifex dum ad Poloniæ Ecclesiæ Primatum hunc Archiepiscopum designavit.

§. 1. Cum te, ven. fr. ad regendam Gnesnensem Ecclesiam et ad amplissimum istius regni primatum designaremus, plurimam animo conceperamus spem, fore ut ad tuendam sustinendamque istis difficillimis temporibus catholicam Religionem te nemo opportunior, nemo instructior esse posset. Cum enim ad ea plurima atque illustria naturae dona, quibus exornatus es maxime, accessisset amplissimi gradus, ac muneris splendor et auctoritas, nihil tibi defuturum putabamus, quo præsidio esset et Collegis tuis diu cum adversa tempestate luctantibus, et Nobis ipsis ad Petri naviculæ gubernaculum sedentibus, quam in eo discrimine esse videmus, ut nisi mutuo præsentique inter nos auxilio subveniamus, illisque fulciamur potentia, qui mari ac ventis imperat, eadem e tantis evadere fluctibus, ac naufragio subtrahi plane non possit.

Hanc Pontificis spem confirmavit Archiepiscopi juramentum in suæ inaugurationis actu emissum.

§. 2. Hac nostræ de te ven. fr. spes erant, hoc cupiebamus, hoc intendebamus animo cum te ad dignitatem istam eveheremus; hoc propositum de te nostrum non tibi solum, istique Polonæ Nationi, sed toti etiam christano orbi patefactum perspectumque esse volebamus. Tu vero, quæ tum Nobis pollicitus sis quantoque fidei vinculo obstrictus Deo ac Ecclesiæ fueris solemni illo jurejurando, quod in tua inauguratione conceperas ac nuncuparas, recenti adhuc memoria oblivisci minime potes: atque hoc scilicet illud erit chirographum æterno a te judici in hujus caducæ ac mortalis vitæ tuæ fine representandum. Adest jam tempus ven. fr. ac ipsa rerum urget necessitas, ut ea omnia, quibus fidem obstrinxisti tuam, sedulo accurateque præstes, ut pro tua aliorumque salute in certamen prodeas ac decertes.

Fidei datæ præstandæ occasio se præbet adversus iniquas pactiones cum dissidentibus initas.

§. 3. Quas enim in orbis oras tristis illa non pervasit fama, quæ animo nostro luctuosissimum angoris vulnus inflixit, fieri jam ab heterodoxa potestate in istam orthodoxam Nationem impetum, quo eidem tandem jugum imponat, quod nec ipsa, nec patres sui ferre unquam potuerunt, ac inferat irritum, ac falsum pacis nomen inter veritatem erroremque ac in istud Regnum intrudat, unoque lucem ac tenebras fœdere societ, et iniquissimis, conjugat pactionibus, quæ evangelicæ sanctitati omnino adversentur, adducturæque sint fidelem populum in summam rerum perturbationem, locumque sanctum in abominationem desolationis. Minus profecto mirum videri posset, si, qua audacia sunt, isti Ecclesiæ hostes arctare hujusmodi pactionibus ac irretire contenderent Polonam Nationem vel invitam, et si nonnulli ex ejusmodem Ecclesiæ filiis fortunarum suarum spe ambitione aliove errore decepti darent nomen, fœdusque promoverent; scriptum est enim, oportet *hæreses esse, necesse est ut eveniant scandala* neque ignoramus permixtam semper esse electo frumento zizaniam.

In Episcopatus dedecus convertitur, quod ii sileant tamquam canes muti, quorum esset alto suas voces extollere.

§. 4. At ut istud iniquitatis mysterium magis in dies vires atque incrementa sumat, neque interea vigiles, speculatoresque qui Dei custodiunt civitatem, ejusque tutelæ excubare debent, vocem extollant suam neque insurgant pastores in lupos, gregibus sibi commissis insidiantes, sed sint tamquam canes muti, qui latrare, nesciant; id vero Nos præ horrore stupentes attonitosque reddit, ac incredibiliter dolorem nostrum cumulat et exagerat. Quod si hi ipsi dexteræ suæ ministerium adhibeant ad subscribendum, et ea temporali dignitate, quam iis ad ædificationem non ad destructionem Ecclesiæ suæ Christus inesse voluit, ita abutantur, ut vim, auctoritatem firmitatemque nefariis legibus adjiciant, quid jam tum Nobis reliquum esse poterit, quam ut amarissime tale tamtumque eorum commissum deflentes reputemus, eos tamquam sal infatuatum quod proijci foras debeat ac conculcari ab hominibus; et interea tamen mundos Nos esse ab ipsorum sanguine declarantes, non desinamus unquam, dum vita in Nobis superstit, monere cum lacrimis unumquemque eorum, et ad pœnitentiam provocare, ac ipsorum Salvatoris nostri verborum terrore concutere atque excitare, qui ait » *qui me erubuerit* » *ac meos sermones, hunc Filius ho-*

» *minis erubescet, cum venerit in ma-* » *jestate sua et Patris et ssrum An-* » *gelorum* = Quare ven. fr. formidare debes ac toto animo contremiscere, dum in tantæ jucturæ discrimine costitutam Nationem istam intueris, nequid adversi scilicet accidat vel culpa vel patientia tua, oriaturque aliqua ex te offensio, quæ in universam Ecclesiam propagatura sit perenne ac perniciosissimum scandalum. Magnæ gravesque sint quamtumlibet ex alia parte intentatæ formidines, ac minae, extremae, quibus versaris, angustiae, infinitæque consequentur, perturbationes. Num idcirco victæ dandæ sunt a te manus? minus ne obviam omni vi ac contentione eundum erit, ac invicto apostolici animi robore decertandum, quemadmodum animæ tuæ tuorumque incolumitas ac episcopale munus vehementer a te requiri ac postulat?

Dum inutiles sunt Episcoporum conatus ad mala vitanda, tunc cavendum saltem est ne videatur eos malis ipsis assensum præbuisse.

5. Quod si neque mederi tantis ingruentibus malis, neque quidquam proficere ulla vi ac conatu posse certissime videris; at cavendum tum maxime tibi erit, ne quid opera tua efficias, quo adversariis partibus adherere ac favere ullo modo videaris. Per summam igitur constantiam et eorum factionibus præsentia et auctoritas tua deneganda est, et manus ab illis subscriptionibus amovendæ, quibus ullum possit pondus funestis ac fatalibus decretis accedere. Est, ut ipse probe nosti, eritque Jacobi Ucangij prædecessoris tui in benedictione justorum memoria, propterea quod similі in causa conservandæ tuendæque Religionis mirum in modum contendit ac laboravit. Noli te degenerem ab eo ostendere cujus ut dignitatis potiris gradu, ita æmularique debes hujusmodi exempla virtutum illustria.

Episcoporum gloria est pro Christo Jesu pati, vitamque suam in discrimen adduci.

§. 6. Vera ac solida sacrorum pastorum gloria in eo potissimum est posita, ut pro Jesu Christo digni efficiantur in hoc sæculo pati. Nihili homines dignitatesque mundi hujus sunt estimandi, contemnendæ opes ac fortunæ omnes (quæ apostolus Paulus omnia reputabat ut stercora, ut lucri faceret Christum) sanguis etiam, si necesse sit, cum vitam profundendus, ut impolluti ab indignissimo scelere sacri pastores perseverent, neque hæresi, aut schismati per eos gloriandi causa detur hujusmodi, statuisse se pestilentiæ cathedram super ruina veritatis annuente, ac etiam consentiente illo, qui constitutus et magister in Israel. *Esto* igitur *vigilans*, tibi Nos dicimus, in angelo qui erat Sardis, annunciatum fuit in Apocalypsi, *et confirma cætera quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva et pœnitentiam ege* Sed jam cum te, ven. fr. vehementer confidamus huic Nostræ sponte consensurum adhæsurumque sententiæ, actionesque tuas ad hanc plæclaram evangelici spiritus regulam directurum, ac ad eandem tuas collegas omnes exemplo verboque inducturum, Deum O. M. oramus et obsecramus, ut animi tui vires fulciat ac roboret, et salutari cælestis gratiæ munere semper confirmet. Demum apostolicam benedictionem fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die VI. Jan. MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCLIV.

Dat. die 30. Januar. 1768. Anno X.

Abrogantur, cassantur, ac nulla, et irrita declarantur nonnulla edicta in Ducatu Parmensi, et Placentino edita, libertati, immunitati, et jurisdictioni ecclesiasticæ præjudicialia.

*Alias sancta Sedes abrogavit edicta a laica potestate evulgata, queis Ecclesiæ, immunitatibus injuria inferebatur. Sic contra sanctiones a Genuensi republica promulgatas habemus Constitutionem hujus Pontificis diei 25 Maii 1760 relatam hujus continuationis, Tom. I. pag. 327 sub n. CXLIV. quæ consulenda ad opportunitatem est cum ibi apposita annotatione.*

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur tenor primi edicti diei 25 Octobris 1764.

§. 1. Alias ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestia, pervenit, in ducatu Nostro Parmensi, et Placentino à sæculari illegitima potestate edicta quædam contra Ecclesiæ jura, et libertatem prodisse, in quorum altero edito Parmæ die 25 Octobris anni 1764 sub gravibus pœnis prohibebatur, ne quis cujuscumque status, gradus, et conditionis aliquem fundum, census, loca montium, bona tum immobilia, cum mobilia, pecuniam, jura, et actiones in ecclesias, cœtus ecclesiasticos, aliaque loca pia, quæ nomine *di mani morte* nuncupantur,

exceptis dumtaxat Xenodochiis, et Brephotrophiis, atque etiam in singulares personas ecclesiasticas quocumque titulo, sive testamenti, sivi successionis ab intestato, donationis inter vivos, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum transferre, distrahere, atque alienare posset, præter vigesimam partem proprii cujuscumque patrimonii, dummodo non excederet summam tercentorum scutorum Parmensium, eamque solum in numerata pecunia; vetita semper quacumque in dictas ecclesias, aliaque loca pia translatione, et respective acquisitione cujuscumque fundi, vel quorumlibet bonorum stabilium, etiam ex causa adjudicationis per judicis decretum, aut ad longum tempus locationis, aut devolutionis, aut emptionis, aut cujuslibet alterius tituli. Præterea in eodem edicto præcipiebatur, quod omnes, qui in aliquo regulari ordine, conventu, monasterio, aut congregatione religiosam professionem emittere voluissent, omnium bonorum suorum, ac jurium abdicativam, atque extinctivam renunciationem facere tenerentur, vel si, non facta ejusmodi renunciatione, præfatam professionem emisissent, perinde censerentur, ac si in humanis nunquam extitissent, quemadmodum hæc omnia sub quibusdam conditionibus, et pœnis constituta in eodem edicto, aliisque successivis declarationibus, et ordinationibus fusius continentur.

Refertur tenor secundi edicti diei 13 Januarii 1765.

§. 2. In altero autem edicto die 13 Januarii anni 1765. Parmæ similiter promulgato jubebatur, ut omnia bona, quæ in postremis generalibus catastris Parmæ, et Placentiæ, vel Guastallæ exaratis, sub laicorum nomine descripta reperiebantur, atque propterea omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis collectis, et oneribus de eo tempore subiiciebantur, iisdem pariter deinceps forent obnoxia, quamvis in ecclesiasticas personas, vel eccclesiasticorum societates, et cœtus ab hujusmodi oneribus immunes vel jam pervenissent, vel imposterum pervenire contingeret, perinde ac si penes laicum possessorem inscripta adhuc essent, cum aliis conditionibus, et restrictionibus, quæ in eodem edicto plenius habentur.

Inemque tenor notificationis dio 8 Februarii 1765.

§. 3. Ut autem hujusmodi edicta, et omnia, quæ in eis erant disposita, promptius et celerius executioni demandarentur, per quamdam notificationem editam die 8. Februarii anni ejusdem 1765 statutum est, ut assertus quidam magistratus super conservatione regiæ, ut vocant, jurisdictionis per quoddam aliud decretum nulliter, et illegitime constitutus diligenter cognosceret, ac definiret omnes, et quascumque controversias super præfatis duobus edictis ortas, vel orituras, cum amplissima facultate ea etiam edicta interpretandi, et quæ ad illorum executionem spectassent, exequendi summarie, et absque ulla forma, et figura judicii.

Nec non alterius edicti diei 20 Februarii 1765.

§. 4. Tandem alio quodam evulgato decreto sub die 20 Februarii ejusdem anni juxta præscriptum præfati secundi edicti di 13 Januarii sancitum est, ut, sublatis quibuscumque privilegiis et immunitatibus, omnia bona in Parmensi ducatu existentia, quæ in catastro incæpto anno 1561., et absoluto anno 1568 descripta fuissent, collectis pendendis essent obstricta, quamvis ab ecclesiis, locis piis, aut personis ecclesiasticis in præsens possiderentur, ipsis quoque injuncto onere nuntiandi laicis ministris quid, quantum, et a quo tempore quis possideret sub nonnullis pœnis, et conditionibus ibidem expressis.

Per biennium Pontifex officia cuncta adhibuit ad præjudicium quodcumque avertendum.

§. 5. Habita igitur per nos horum edictorum notitia, et quod præterea varii, gravesque alii abusus in præjudicium ecclesiasticæ immunitatis, et jurisdictionis per dictam sæculi potestatem inducebantur, priusquam ad ea remedia intenderemus, animum, quæ pastoralis officii nostri ratio postulabat, et quæ curandis vulneribus, injuriisque repellendis, quibus Ecclesiæ auctoritas, et libertas impetebatur, aptiora et efficaciora videbantur, ad ea potius, quæ pacis sunt, cogitationes, et consilia nostra convertimus, atque propterea integro fere biennio non prætermisimus, omnibus, quibus potuimus, officiis, et oblatis etiam ad sublevandas populorum necessitates æquitatis, ac longanimitatis nostræ argumentis, suadere et deprecari, ut, quæ publicata fuerant, edicta revocarentur, Ecclesiæ dignitas, et læsa jura restituerentur; omnia demum, quæ injuste, et illegitime acta fuissent, tollerentur, et corrigerentur.

At universa Pontificis officia in irritum cesserunt.

§. 6 Dum vero monitionibus, et cohortationibus nostris plene quidem Nos profecisse in domino gratulabamur, res quippe eo devenerat, ut exhibita Nobis fuerint novorum edictorum exempla, quibus vetera illa supra memorata, tum etiam ea, quæ contra jura, et rationes ecclesiastici ordinis indebite, atque attentate per sæcularem potestatem gesta fuerant, revocabantur, atque retractabantur; dumque Nos ipsi parati eramus communitates, atque homines

ducatuum Parmæ, et Placentiæ, et Guastallæ peculiaribus favoribus, et gratiis prosequi; repente præter omnem expectationem irrita facta sunt vota, et consilia nostra, et quæ Ecclesiæ libertati, ac juribus inflicta pridem fuere vulnera, non modo iis, quæ promissa fuerant, sanata non sunt medicamentis, sed superimposita sunt nova, atque graviora.

Imo novi edicti publicatione novum vulnus rei Ecclesiasticæ accessit.

§. 7 Nam, sicut accepimus, eadem sæcularis potestas novo primum edito edicto sub die 12 Januarii præteriti anni, priora illa, pro quibus suspendendis fides data fuerat, renovavit, confirmavit, atque exequi jussit, nisi quod facultatem, quam in edicto diei 25 Octobris 1764 nulliter, atque indebite in totum ademerat, in hoc altero recentiori edicto restituit quidem ecclesiasticis personis acquirendi bona stabilia, et mobilia, quæ ipsis obventura forent vel hæreditario jure suorum ascendentium, et collateralium, vel alio emptionis, aut permutationis titulo; sed adjectis contra Ecclesiæ leges, et instituta durissimis conditionibus; quod scilicet earumdem ecclesiasticarum personarum successio in hæreditate ascendentium et collateralium non ultra quartum gradum protenderetur; quod insuper sese obligarent, earumque obligatio in actis alligaretur, pro hujusmodi bonis recenter acquisitis omnia onera vel imposita, vel deinceps imponenda subeundi, laicum forum non declinandi, eademque bona Ecclesiis, seu ut vocant, manibus mortuis nullo modo transmittendi. Mox vero alia sub die 26 Martii ejusdem præteriti anni edita notificatione, eadem sæcularis potestas quemdam assertum præfectum, nuncupatum superintendentem regium, designavit, qui facultate sibi nulliter attributa præesset bonorum ad ecclesias, et cœtus ecclesiasticos regulares, ac sæculares spectantium administrationi, erogationi redditaum, observantiæ etiam institutorum, et præcipuarum legum cujuscumque ordinis regularis circa ea, quæ ad externum eorumdem ordinum decus, Religionis cultum, et populorum exemplum conservandum, et amplificandum spectassent.

Et exasperatum vulnus fuit per laici tribunalis deputationem in rebus ecclesiasticis.

§. 8 Ad hæc insuper alia quoque promulgata fuit, atque etiam typis edita instructio, in qua, quænam essent eidem regio præfecto commissa munia circa personas, bona, redditus, impensas singulorum conventuum, monasteriorum, collegiorum, congregationum, confraternitatum recensentur, quidam alii secundarii ministri, appellati regii conservatores, et commissarii, deputantur, ut in exequendis mandatis a supradicto incompetenti magistratu regiæ, ut appellant, jurisdictionis quandocumque dandis, suam operam præstent, plurima alia demum eidem præfecto, et supradictis ministris suis adjutoribus curanda, et reformanda demandantur, tam quoad numerum regularium utriusque sexus, tam quoad monialium dotes, sumptusque faciendos in ingressu in religionem, tam denique quoad ecclesiarum solemnitates, et festa, parochorum congruam, compluraque alia, quæ nullo modo, uti exploratum est, a sæculari potestate propria authoritate, et arbitrio statui, et decerni possunt, sed ad ecclesiasticam potestatem omnino spectant, et pertinent.

Qui laici magistratus plura patrarunt contra ecclesiasticam potestatem.

§. 9 Hinc autem factum est, ut non modo prædictus magistratus assertæ regiæ jurisdictionis, sed præfati quoque præfectus, aliique laici ministri commissam sibi incompetentem, atque illegitimam potestatem in ecclesias, atque personas, et bona ecclesiasticorum exercentes, non dubitaverint sententiam proferre super celebratione missarum, super sacramentorum administratione in ecclesiis parochialibus; super adimplemento piorum legatorum; Episcoporum præterea potestatem imminuerint, contempserint, atque impedierint, illis, qui temerariis eorum ausibus quoquo modo restiterunt, et juxta canonicarum sanctionum normam obedire recusarunt, sæpius intentatis minis carceris, exilii, terrorem incusserint, quandoque vero inflicta etiam pœna vim intulerint, complures denique actus gesserint, quibus non veriti sunt ecclesiasticæ potestatis fines invadere, et sacerdotii prærogativas, ac jura violare.

Insuper aliud contumeliosum edictum evulgatum fuit die 14 Januarii anni 1768.

§. 10 Post hæc, cum Nos charitati nostræ diuturniori longanimitate indulgentes, expectabamus ab alto opportunam opem, et jugibus lacrymis a Domino precabamur, ut qui illa admiserant, in eam, a qua tam longe aberraverant, justitiæ viam, agnita tandem veritatis luce, redirent, non modo nullum cepimus charitatis et patientiæ nostræ fructum, sed incredibili animi mœrore, atque intimo cordis sensu nova atque acerbiora gravamina in priorum cumulum adjecta fuisse cognovimus. Nam sub die 16 labentis hujus mensis Januarii Parmæ pro-

diit edictum, in primis quidem contumeliosum, atque calumniis refertum, dein vero perniciosum, atque tendens ad schisma, quod christifideles a supremo Ecclesiæ capite, oves a pastore avertere, et quasi separare studet, ecclesiasticam jurisdictionem opprimit, et sanctissime stabilitam hierarchiam infringit, quod jura, et prærogativas hujus S. Sedis imminuit, et ab omnibus debitam ejus mandatis, decretis, ac legibus obedientiam sæculari potestati subjicit, quod demum Ecclesiam Dei, quæ libera est, facit ancillam. In eo enim præcipitur, ne subditi Parmensis, et Placentini, necnon Guastallæ ducatuum, quicumque illi sint, sæculares, aut ecclesiastici, universitates, conventus, religiosæ domus tam virorum, quam mulierum, nemine excepto, suas lites, etiam ecclasiasticas, in nullo extero tribunali, videlicet, neque in metropolitanis curiis, neque apud apostolicam Sedem, quemadmodum ibidem expresse cavetur, ullo modo agere vel tueri possint, nisi prius ab eadem sæculari illegitima potestate venia impetrata: præterea omnibus prohibetur, ne apud exteros principes, ditiones, ac tribunalia, non excepta apostolica Sede, quasi exterum illud catholicis tribunal sit, recursus ullus instituatur, neque etiam pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis, pensionibus, commendis, in iisdem ducatibus sitis, nisi prius præfatæ potestatis consensus præcesserit: statuitur etiam beneficia ecclesiastica, etiam consistorialia, pensiones, abbatias, commendas, dignitates, et munera jurisdictionem adnexam habentia, quæcumque illa sint, et quacumque speciali appellatione commemoranda forent, non ab aliis, præterquam a subditis consequi posse; ita tamen, ut pro illis etiam idem consensus, et venia præfatæ potestatis prius intercedat. Tandem ne quælibet scriptura, mandatum, epistola, sententia, decretum, bulla, breve, aut alia provisio, quæ ab apostolica Sede emanaverit, exequi ullo pacto possit in iisdem ducatibus, nisi impetrato exequatur, ut vocant, a sæculari potestate.

Pontifex apostolica sua potestate cuncta relata edicta, laicaliumque magistratuum acta irritat, nulliusque efficaciæ declarat.

§. 11. Quum autem tum hæc postrema præsertim, tum præmissa omnia, nimium sane per nos huc usque tolerata, libertatem, immunitatem, ac jurisdictionem ecclesiasticam, hujus sanctæ apostolicæ Sedis jura ac prærogativas, ipsas denique sanctissimas Ecclesiæ leges, instituta, et potestatem manifeste læserint, ac violaverint, ac lædant, et violent; tum etiam in ipsorum magistratuum, judicum, officialium, aliorumque tam mandantium, quam consulentium, exequentium, illisque favorem, et auxilium quoquo modo præstantium, aut approbantium, et, quum possint, non impedientium, nec corrigentium perniciem, ac propterea in scandalum plurimorum tendant, et christifidelium animæ, de quibus districtam Deo reddituri sumus rationem, in gravissima pericula conjecerint, et deplorandis malis involvere pergant. Hinc est, quod Nos, qui ex commissi Nobis divinitus pastoralis muneris debito, ecclesiasticæ libertatis vindices, nec non omnium Romanæ, aliisque inferioribus ecclesiis, aut quibusvis personis, et bonis ecclesiasticis competentium jurium assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam, et sollicitudinem suprema dispositione gerimus, ne in tanta Ecclesiæ oppugnatione diutius silentes, otiosi, ac desides incumbenti Nobis apostolicæ servitutis officio deesse videamur, ac nimia longanimitate, proditæ ecclesiasticæ libertatis, desertæque turpiter Dei causæ, nec non negligentiæ in tuendis, ac defendendis hujus apostolicæ Sedis juribus rei efficiamur, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis ac exemplis insistentes, nec non generalium conciliorum decretis, sacrorum canonum dispositionibus contra violatores ecclesiasticæ libertatis, et eorumdem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus, ac præsertim iis, quæ in die cœnæ Domini legi, et promulgari solent, firmiter inhærentes, atque omnium, et singulorum, quæ inpræmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, nec non ministrorum, magistratuum, judicum, officialium, aliorumque præfatorum qualitates dignitates, nomina, et cognomina, aliaque quæcumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes; motu proprio, ac ex certa scentia, ac matura deliberatione habita cum nonnullis ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorum consilio, et assensu, et de apostolicæ potestatis plenitudine, præfata omnia, et singula edicta, decreta, ordinationes, mandata, ac alia quælibet a ministris, magistratibus, judicibus, et officialibus

supradictis, aliisque quibusvis personis specifica, et individua mentione dignis, in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium libertatis, immunitatis ecclesiasticæ, atque auctoritatis apostolicæ, nec non hujus S. R. E., Archiepiscoporum, et Episcoporum jurium respective, quovis modo emanata, edita, acta, gesta, et perpetrata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan, quod Deus avertat, quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, ac momenti, vel efficaciæ esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si numquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, et abundantiorem cauthelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

Prohibet Episcopis Parmensi, Placentino, et Burgi S. Donnini ne præfata edicta executioni committi sinant.

§. 12. Quocirca ven. fratribus Episcopis Parmensi, et Placentino, et Burgi S. Donnini, nec non cæteris ordinariis præcipimus, et mandamus; ne edicta, decreta, ordinationes, et notificationes hujusmodi executioni mandari permittant; omnibus vero, et singulis eorumdem ducatorum personis tam laicis, quam ecclesiasticis: sive sæcularibus, sive regularibus respective prohibemus, atque interdicimus, ne præfata edicta, decreta, ordinationes quovis modo exequantur, vel iis obtemperent, aut obtemperari faciant, multoque minus præfati magistratus, aut ejusdem ministrorum, seu alterius laicalis tribunalis foro sese subiicere audeant, vel præsumant.

Monet singulos, qui relatis actis caussam dedere in censuras incurrisse ab uno tantum romano Pontifice absolvendos.

§. 13. Cœterum cum notorii, et explorati juris sit, eos omnes, qui edicta, decreta, ordinationes, mandata prædicta ediderunt, promulgarunt, aut quoquo modo pro iis insteterunt, vel illis usi fuerunt, eaque executioni demandarunt, ac alia præmissa, vel eorum aliqua perpetrarunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhærentes, vel alios quoscumque prædictorum executionem procurantes, vel per se ipsos exequentes, atque illegitimam potestatem supradictorum magistratuum, judicum, officialium, conservatorum, et superintendentis assertæ jurisdictionis in personas, res, bona, et jura ecclesiarum, vel Episcoporum, Prælatorum, ac regularium facto agnoscentes, censuras ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac præsertim literis die cœnæ Domini singulis annis legi, et promulgari solitis inflictas, nec non omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quomodolibet forsan concessorum amissionis pœnas, eo ipso incurrisse, nec a censuris hujusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, ac insuper inhabiles et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec supradicta decreta, ordinationes, mandata, edicta, omniaque in executionem gesta; atque sequuta, et quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint cassaverint, et aboleverint, eaque novis edictis, ordinationibus, mandatis, atque decretis e medio sustulerint, ac omnia in pristinum statum plenarie, et cum effectu reintegraverint, vel alias debitam, et condignam Ecclesiæ, ac Nobis, et huic S. Sedi satisfactionem in præmissis præstiterint; idcirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione, et abolitione decretorum, edictorum, aliorumque præmissorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiæ, ac Nobis, et dictæ Sedis satisfactione realiter, et cum effectu in eisdem præmissis exhibenda, præsentium literarum, seu alio quocumque prætextu minime liberos, et

exemptos, sed semper ad hæc obligatos fore, et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore præsentium decernimus, et pariter declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Decernentes etiam, easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, et alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni illis non consenserint, sed ad ea vocati, citati, et auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet causa, colore, prætextu, et capite, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, ac alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, e delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, et alias quomodolibet et contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Præsentium litterarum efficacia ex una tantum earumdem publicatione.

§. 16. Cum autem eædem præsentes literæ in ditione Parmensi, et Placentina, et Guastallæ nequeant tute publicari, uti notorie constat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum, nec non cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte citatorio, et in acie campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illæ concernent, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 17. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, et gentium tam in judicio, quam extra illud ubique adhi-

berentur ipsis præsentibus, ac si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die xxx. Januarii MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCLV.

Dat. die 4. Februa. 1768. Anno X.

Prohibetur sub pœna excomunicationis ne figuræ prophanæ ponantur in altaribus ecclesiarum diœcesis Pacensis in Indiis.

Venerabili fratri episcopo Pacensi in Indiis.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur abusus prophanarum imaginum in Ecclesiis Pacensis dioecesis, illæque prohibentur in posterum sub censurarum poena.

§. 1. Cum, sicut accepimus, in altaribus ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum conventuum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum istius civitatis, et diœcesis Pacen. abusus irrepserit ponendi, sive ornatus titulo, sive aliaquacumque de causa formas, seu figuras vere deridendas faunorum, avium sylvestrium, simiarum, aliasque immagines illis similes, quæ loci hujusmodi sanctitati minime conveniunt, et in istis partibus, ut asseritur, nomine *Mamarrachos* vulgo appellari solent. Nos huic malo opportune remedium adhibere volentes, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, memoratas prophanas immagines, formas, seu figuras non solum a dictis, sed etiam a quibuscumque aliis altaribus omnium ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum totius diœcesis tuæ prædictæ omnino removeri, et ne in posterum ullo unquam tempore præfatæ immagines, formæ, seu figuræ in altaribus hujusmodi ponantur, et collocentur, prohiberi sub censurarum pœna ipso facto in utroque casu per inhobedientes, seu contravenientes incurrenda, auctoritate nostra apostolica tenore præsentium mandes, statuas, atque decernas.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die nona Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

## DCLVI.

Dat. die 5. Februa. 1768. Anno X.

Canonici, et mansionarii infirmi metropolitanæ ecclesiæ Beneventanæ admittuntur ad consequutionem distributionum relictarum pro officio Mariano, eisque tribuitur facultas substituendi alios in casum legitimi impedimenti.

Venerabili fratri archiepiscopo Beneventano.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratrer salutem, et apostolicam benedictionem.

Benedictus XIII. dum Archiepiscopatum Beneventanum regebat pium opus instituit recitationis officii Mariani, et dotem a canonicis, et mansionariis annuatim consequendam tradidit.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici istius metropolitanæ ecclesiæ Beneventanæ, quod ex institutione præscripta a fel. rec. Benedicto papa XIII. eo tempore, quo, dum ipse in minoribus erat eidem ecclesiæ præsidebat, dictum capitulum inter horas canonicas officium quoque parvum beatæ Mariæ Virginis in choro recitare tenetur: pro dote vero ejusdem pii operis memoratus Benedictus prædecessor summam ducatorum vigintiquinque mille, ac novem centum, et decem in pluribus vicibus assignavit, ad hoc ut erogata hujusmodi quantitate in tot fructiferos census ad rationem tunc solitam scutorum quinque pro quolibet centenario, et anno, quisque ex canonicis, et dignitatibus annua ducata triginta sex, et quisque ex mansionariis annua ducata

decem, et octo quotidianæ distributionis titulo obtineret.

Quam dotationem idem Benedictus XIII adauxit et omni studio curavit ne imminutionem in posterum perpeti posset.

§. 2. Ad pontificatus apicem deinde evecto eodem Benedicto prædecessore, pro augmento quotidianarum distributionum hujusmodi alia quoque ducata viginti mille ipse pariter assignavit, unde quilibet ex canonicis, et dignitatibus ducata sexaginta, et unum, ac quilibet ex mansionariis ducata triginta sex assequi valeret. Quoniam vero firmitatem, ac stabilitatem distributionum prædictarum idem Benedictus prædecessor exoptabat, hinc animo secum reputans, vel quod capitalia censuum prædictorum in aliqua parte amitti, vel eorum fructus minui poterant, alia ducata bis mille assignavit, ad effectum illa convertendi in capitalia fructifera, cum lege, quod eorum fructus semper sub vinculo multiplici esse deberent pro rata nempe ducatorum mille quingentorum in securitatem, seu defensionem utriusque quotæ titulo quotidianarum distributionum, ut præfertur, assignatæ, pro alia vero rata ducatorum quingentorum ad hoc ut canonici metropolitanæ ecclesiæ prædictæ paramenta, pro ipsis habentibus usum mitræ, necessaria possent comparare.

Jussit autem pius fundator ut distributione dotis perfrui capitulares nequirent nisi præsentes servitio essent, illisque substitutionis facultatem ademit.

§. 3. Prædictis tamen distributionibus quotidianis idem Benedictus prædecessor voluit, ut illi tantum frui, et gaudere deberent, qui revera personaliter choro interfuissent, semper, ac generaliter per modum regulæ absentibus etiam ratione malæ valetudinis, aut alias legitime impeditis a consecutione hujusmodi distributionum exclusis, ac præterea ipse prohibuit, ne quis alium in sui locum substituere posset, demumque mandavit, ut omnes indistincte subjecti essent punctaturis applicandis, non quidem beneficio aliorum, qui interfuissent, sed sacrario ecclesiæ prædictæ, ac dumtaxat permisit, ut mense quolibet quisque canonicus vacatione octo dierum; quisque vero ex mansionariis vacatione tantum dierum quatuor potiri valeret; quam sane memorati Benedicti prædecessoris dispositionem, et voluntatem, ea, qua par erat diligentia, et fide dicti exponentes executioni demandare usque adhuc non omiserunt.

At tractu temporis quum constitutæ dotationis fructus imminutionem sint perpessi, suplices hinc preces porrexerunt pro consequenda distributione etiam in casu absentiæ legitimæ, nec non pro facultate se se substituendi.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præter amissionem nonnullorum capitalium hujusmodi, annui quoque eorum fructus admodum deinde sint diminuti, tam propter quantitatem hujusmodi fructuum, quæ a summa ducatorum quinque pro quolibet centenario ad summam ducatorum tantum quatuor successu temporis postea pervenit, quam propter impositiones, ac onera annua, quibus capitalia hujusmodi subjecta reperiuntur, ita ut omnia prædictorum fructuum diminutio quantitatem ducatorum quadrigentorum sexaginta quinque attingat. Hinc præfati exponentes dispositionem, ac legem a dicto Benedicto prædecessore, ut præfertur, præscriptas in ea tantum parte, qua statuitur, ut absentes etiam causa infirmitatis punctaturis subjiciantur, ac simul præscribitur, ne unus alium in sui locum substituere possit, per Nos moderari, ac absentes ex causa dumtaxat infirmitatis hujusmodi distributionum participes, et tam canonicos, quam mansionarios alios sui respective gradus, qui eo tempore in diebus vacationum, ut præfertur, assignatis recitationi officii parvi prædicti interesse minime debent, substituere posse per Nos declarari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex prævia derogatione fundationis legibus a Benedicto XIII. constitutis, precibus sibi porrectis annuit.

§. 5. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretrum secretarii, fraternitati tuæ, per præsentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eisdem canonicis, et mansionariis nunc, et pro tempore existentibus dictæ metropolitanæ ecclesiæ legitime impeditis secundum dispositionem textus *in capitulo consuetudinem de clericis non residentibus*, et sacri concilii Tridentini prædicti sess. 24. cap. 12. de reformatione potestatem percipiendi emolumentum officii Mariani, auctoritate apostolica, tenore præsentium pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas, nec non eisdem petitam facultatem substituendi alterutrum ejusdem tamen ordinis, et dummodo substitutus non teneatur pro se ipso interesse præfato officio Mariano, auctoritatæ et tenore prædictis tuo pariter arbitrio, et conscientia tribuas, ac impartiaris.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus memorati Benedicti prædecessoris dispositione, et voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, eique derogamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et dictæ metropolitanæ ecclesiæ statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausolis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 6. Februar. 1768. Ann. X.

## DCLVII.

Prævia abrogatione constitutionis Clementis XII diei XXVI Octob. XDCCXXX collegium Castri de Ozzier ordinis minorum S. Francisci de observantia, unitur provinciæ Sardiniæ ejusdem ordinis.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Collegium hoc in ipso institutionis exordio sub imediata subjectione ministri generalis ordinis reperiebatur.

§. 1. Alias fel. rec. Clementi Papæ XII prædecessori Nostro pro parte tunc existentis procuratoris conventus de Ozzier in provincia Sardiniæ ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum exposito, quod dictus conventus ante quadraginta annos in collegium, sive seminarium missionum sub immediata subjectone, et dispositione pro temporis existentis ministri generalis ordinis præfati, cum regulis, constitutionibus, et ordinationibus ad præscriptum quarumdam literarum piæ memoriæ Innocentii Papæ XI itidem prædecessoris Nostri incipien. = *Catholicæ Ecclesiæ* = erectum fuerat.

At Benedictus XIII collegia cuncta missionum hujus ordinis, exceptis illis in Indiis, et binis in Lusitania subjecit ministris provinciarum in quibus reperiebantur erecta.

§. 2. Verum quia a congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum die VI Septembris MDCCXXVIII. prodierat decretum subinde a rec. me. Benedicto Papa XIII prædecessore etiam Nostro per suas in simili forma brevis expeditas literas confirmatum, per quod, exceptis collegiis, seu seminariis fratrum missionariorum hujusmodi erectis, seu erigendis in provinciis Indiarum pro conversione infidelium, ac demptis duobus in regno Lusitaniæ existentibus, cætera, quæ in provinciis Hispaniarum sub dominio Regis catholici erecta reperiebantur sub obedientia, et regimine ministrorum provincialium reducta fuerunt.

At collegium hoc quum situm minime esset in provinciis Hispaniarum, comprehendi minime debere in præcedenti benedectina constitutione, declaravit Clemens XII.

§. 3. Hac itaque de re, licet dictum collegium de Ozzier in istiusmodi decreto, ac literis comprehensum non videretur, quia in provinciis Hispaniarum sub dominio Regis catholici situm non reperiebatur, et rationum momenta, quæ causam præbuerant enarratæ reductioni locum sibi minime vindicabant in collegio prædicto, dum superiores ordinis in ejus gubernio nullam difficultatem experti fuerant, nilque detractum videbatur salutari instituto ab illius fratribus professo, ac obedientiæ ab eis promissæ, imo cum incremento regularis observantiæ prædicti fratres uberrimos fructus in sacris missionibus obeundis referebant, nihilominus ad quamcumque dubitationem submovendam prædictus tunc existens procurator ejusdem collegii, illud in dictæ congregationis decreto, ac præfatis literis memorati Benedicti prædecessoris, nequaquam comprehendi, sed sub dispositione priorum literarum Innocentii prædecessoris remanere debere ad instar aliorum collegiorum in provinciis Indiarum existentium declarari summopere desiderabat. Idem Clemens prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus de consilio tunc existentium S.

R. E. Cardinalium dictis negotiis propagandæ Fidei præpositorum, præfatum collegium, seu seminarium Castri de Ozzier sub jurisdictione, obedientia, regimine superioris generalis ordinis prædicti juxta formam literarum dicti Innocentii prædecessoris constituendum esse statuit, et declaravit, ac alias prout in memorati Clementis prædecessoris in simili forma brevis die XVI Octobris MDCCXXX. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, uberius continetur.

At postmodum supplicatum fuit pro præfati collegii unione provinciæ Sardiniæ.

§. 4. Nuper autem pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Emmanuelis Sardiniæ regis illustris expositum fuit, quod absoluta a venerabili fratre nostro Julio Cæsare Archiepiscopo Turritano, visitatione apostolica auctoritate sibi demandata dictæ provinciæ Sardiniæ memorati ordinis minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum, antequam idem Julius Cæsar Archiepiscopus ultimam manum imponat decretis, numerumque statuat fratrum, ac domum pro novitiatu, professorio, studiisque constituat, opportunum ipse censuit unionem dicti collegii, seu seminarii Castri de Ozzier cum præfata provincia Sardiniæ proponere, quam sane unionem memoratus etiam Karolus Emmanuel rex plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut revocatis prædictis Clementis prædecessoris literis, in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex prævia abrogatione literarum Clementis XII, collegium hoc provinciæ Sardiniæ perpetuo unit, et incorporat.

§. 5. Nos igitur piis ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium præpositorum, qui tam relationem dilecti filii nostri Ferdinandi Mariæ ipsius S.R.E. presbyteri Cardinalis De Rubeis nuncupati, quam dilectum etiam filium nostrum Josephum Mariam ejusdem S.R.E. presbyterum Cardinalem Castelli pariter nuncupatum congregationis negotiis propagandæ fidei præpositæ præfectum audiverunt, atque insuper relationem super præmissis a dicto Julio Cæsare Archiepiscopo ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt consilio, prædictas Clementis prædecessoris literas auctoritate apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuamus, et proinde dictum collegium, seu seminarium Castri de Ozzier memorati ordinis fratrum minorum de observantia prædictorum provinciæ Sardiniæ ejusdem ordinis auctoritate, et tenore prædictis perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 29. Februar. 1768. Anno X.

## DCLVIII.

Investitura sextæ partis Castri Valdinoce directo dominio Ecclesiæ Ravennatensi spectanti favore principis Andreæ ab Auria Pamphyli confirmatur, et approbatur.

### Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur status antiquæ investituræ.

§. 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Andreas princeps ab Auria Pamphyli, quod inter cætera bona, quæ ipse possidet in provincia nostra Romandiolæ, et quæ in eum ex primogenitura, ac fideicommissis domus Pamphyliæ coaluerunt, numeratur quoque medietas, seu sexta pars Castri vulgo Valdinoce nuncupati, cum omnibus suis membris, ac pertinentiis positi in diœcesi Brictinoriensi et ad directum dominium mensæ archiepiscopalis Ravennatensis pertinentis, cujus quidem medietatis, seu sextæ partis Castri hujusmodi, simul cum quadam domo, ac uno petio terræ in oppido, ac respective territorio Saviniani existente idem Andreas a cla: me: Nicolao, dum vixit, S. R. E. Cardinali Oddi nuncupato dictæ Ecclesiæ Ravennatensis Archiepiscopo pro se, suisque filiis, ac nepotibus masculis tantum ex instrumento die IV. Februarii MDCCLXV per acta Donati Antonii Lancioni notarii A. C. desuper confecto renovationem investituræ obtinuit.

Exponuntur nonnullæ controversiæ jurisdictionales deinde enatæ, et transactio deinde conciliata.

§. 2. Verum quia in instrumento hujusmodi idem Nicolaus Cardinalis, et Archiepiscopus reservaverat facultatem prædictæ Ecclesiæ Ravennatensi puniendi, corrigendi, et mulctandi quoscumque malefactores, rebelles, et inobedientes juxta formam antiquarum investiturarum, et solitum, hac attenta reservatione, ipse contendere cæpit, quod ab eo deputandus, et mittendus esset gubernator Castri hujusmodi, qui saltem jurisdictionem criminalem in eo exercere deberet, e contra vero præfatus Andreas exponens jurisdictionem hujusmodi jure sibi competere putabat propter possessionem, in qua tam ipse, quam ejus antecessores semper fuerunt: in hoc itaque rerum statu, serio perpensis juribus hinc inde deductis, idem Andreas, ut longam, ac sumptuosam litem effugeret, censuit potius ad amicabilem concordiam cum dicto Nicolao Cardinali, et Archiepiscopo per instrumentum die IV. Julii MDCCLXVI. a memorato Lancioni confectum devenire, in quo quidem instrumento admissum fuit favore ipsius Andreæ liberum exercitium plenæ jurisdictionis dicti Castri tam civilis, quam criminalis, ac in quibuscumque licet gravibus, delictis; e contra vero idem Andreas scuta quatrigenta monetæ romanæ persolvit, ac alias prout in prædictis duobus instrumentis die IV. Februarii MDCCLXV. et die IV. Julii MDCCLXVI, ut præfertur, confectis, quorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectæ pro præfatæ transactionis, confirmatione, quæ a Pontifice conceditur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat in utroque ex instrumentis prædictis apostolica nostra approbatio, et assensus expresse fuerint reservata, atque idcirco idem Andreas illa per Nos approbari, et confirmari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Andream specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, tam præfatum instrumentum renovationis investituræ a memorato Nicolao Cardinali, et Archiepiscopo Ravennatensi pro medietate, seu sexta parte dicti Castri Valdinoce, una cum domo, ac petio terræ prædictis eidem Andreæ pro se, suisque filiis, et nepotibus masculis tantum concessæ, quam prædictum aliud instrumentum concordiæ inter eosdem, ut præfertur, initæ, una cum omnibus, et singulis in instrumentis hujusmodi contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, ac facti, et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis

per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. ac aliorum romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, et quatenus opus sit, rec. me. Urbani papæ VIII. prædecessoris pariter nostri investituras bonorum jurisdictionalium ad ecclesias devolutorum renovari prohibentibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ ecclesiæ Ravennatensis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxix. Februarii MDCCLXVIII, pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 29. Februar. 1768. Ann. X.

## DCLIX.

Confirmatur investitura quatuor Castrorum in provincia Romandiolæ facta ab episcopo Sarsinatensi favore principis Andreæ ab Auria Pamphyli.

### Clemens Papa XIII.

### Ad futuram rei memoriam.

Exponitur origo hujus investituræ, illiusque progressus.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Andreas princeps ab Auria Pamphyli, quod inter cætera bona, quæ ipse possidet in provincia nostra Romandiolæ, et quæ in eum ex primogenitura, et fideicommissis domus Pamphyliæ coaluerunt, numerantur quoque quatuor parva Castra, nempe Seguno, Cigno, Pozzolo, et Bucchio vulgo nuncupata pertinentia ad directum dominium ecclesiæ episcopalis Sarsinatensis, quæ ab anno usque MDCI. in quon. Joannem Franciscum ex principibus Aldobrandinis devenerunt ex venditione sui favore a quon. Karolo Felice Marchione, et aliis de Malatesta, prævio, ut asseritur, beneplacito, et assensu fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri expleta, ac alias prout in instrumento venditionis hujusmodi die xxx. Maii ejusdem anni confecto per acta Fontiæ tum notarii A. C. uberius dicitur contineri. Deinde vero prædictæ venditioni accessit consensus, et nova investitura a tunc temporis existente episcopo Sarsinatensi elargita eidem Joanni Francisco pro se, suisque filiis, ac nepotibus ad renovandum; cumque obitus memorati Joannis Francisci postea supervenerit prædictus tunc temporis existens episcopus investituram, seu novam concessionem hujusmodi favore quon. Olympiæ senioris principissæ de Aldobrandinis viduæ præfati Joannis Francisci defuncti tamquam matris, tutricis, et curatricis bo: me: Silvestri, Joannis Georgis, Hippolyti, et Petri, ejus, ac dicti Joannis Francisci filiorum renovavit, ac alias prout in instrumento renovationis hujusmodi die xxxi. Augusti MDCII. per acta ejusdem Fontiæ confecto uberius pariter dicitur contineri. Extincta autem linea masculina familiæ de Aldobrandinis bo: me: cognominatus Bovius tunc existens episcopus Sarsinatensis die vii. Martii MDCXLV. iterum dicta quatuor Castra cum omnibus eorum membris, juribus, et jurisdictionibus favore quon. Olympiæ de Aldobrandinis unicæ natæ ex memorato Joanne Georgio filio pridicti Joannis Francisci pro se, ejusque filiis, ac nepotibus ad renovandum juxta formam antiquarum investiturarum in emphyteusim denuo concessit, ac alias prout in instrumento eodem die desuper exarato per acta memorati Fontiæ uberius itidem dicitur contineri; ac deinde post ejusdem Olympiæ obitum ab anno usque MDCLXXXIII. una cum pluribus aliis bonis in dicta provincia positis, quatuor quoque memorata Castra a quon. Joanne Baptista principe Pamphyli illius filio, et a quon. Camillo, ac successive a quon. Hieronymo dicti Joannis Baptistæ filiis quiete, ac pacifice possessa fuerunt. Demum sequuto obitu præfati Hieronymi, ac per Nos avocata posses-

sione bonorum omnium domus Pamphyliæ, possessio hujusmodi deinde per decreta diebus XXII. Junii, et V. Octobris MDCCLXIII. edita a dilecto filio nostro Andrea S. R. E. diacono Cardinali Nigrono nuncupato tunc temporis nostro pro-auditore dimissa fuit favore bo: me: Joannis Andræe principis ab Auria Pamphyli patris ejusdem exponentis uti successoris tam in primogenitura domus Pamphyliæ, quam in fideicomisso, et primogenitura dicti Joannis Baptistæ Pamphyli, ac idem Joannes Andreas actualem eorum possessionem adeptus fuit, et cum venerabili fratre Joanne Baptista episcopo Sarsinatensis de obtinenda renovatione investituræ pro quatuor Castris prædictis cum suis adnexis jam agere cæperat.

Preces porrectæ pro confirmatione nuper renovatæ investituræ, et pontificia approbatio.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, sequuto interea obitu memorati Joannis Andreæ, postmodum dictus expones illius filius a præfato episcopo Sarsinatensi pro quatuor Castris prædictis novam investituram pro se, suisque filiis, et nepotibus tantum ad renovandum, soluto laudemio solito, et annuo canone, ac reservata, insuper nostra approbatione, et assensu, obtinuerit, ac alias prout in instrumento desuper die XXV. Maii MDCCLXV confecto per acta quon. Donati Antonii Lancioni notarii A. C. cuius tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; ideoque ipse Andreas instrumentum renovationis investituræ hujusmodi, apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra, indulgere de beignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Andream specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præfatum instrumentum renovationis investituræ a memorato Joanne Baptista Episcopo Sarsinatensi, pro dictis quatuor Castris, nempe Seguno, Cigno, Pozzolo, e Bucchio vulgo, ut præfertur, nuncupatis, cum eorum adnexis dicto Andreæ pro se, suisque filiis, et nepotibus tantum ad renovandum concessæ, una cum omnibus, et singulis in eodem instrumento contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, ac facti, et solemnitatum defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in premissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam caussarum palatii apostolici auditores judicarii, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., ac aliorum romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, et quatenus opus sit, rec. me. Urbani Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri investituras bonorum jurisdictionalium ad Ecclesias devolutorum renovari prohibente, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ Ecclesiæ Sarsinatensis aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, a cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

## DCLX.

Dat. die 19. Aprilis 1768. Anno X.

Concordia inter Episcopum, et Capitulum cathedralis ecclesiæ Legionensis confirmatur, et approbatur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Controversiæ obortæ inter Episcopum Legionensem, et capitulum ejusdem civitatis per concordiam sublatæ sunt.

§. 1 Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Pascalis Episcopus Legionensis et dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis Ecclesiæ Legionensis quod ipsi enixe cupientes nonnullas controversias alias inter eos excitatas componere ac super eisdem perpetuam reddere pacem ope concordiæ a carissimo quoque in Christo filio nostro Karolo Hispaniarum rege catholico quam maxime volitæ, ac divinum servitium, animarum quietem, et a diuturnis, ac sumptuosis litibus liberationem respicientes, post varios tractatus, ac resolutiones desuper habitas, undecim conventi, et constituti fuerunt articuli relati in publico instrumento, cujus tenor est qui sequitur, videlicet = Ego infrascriptus scriba, et notarius major

Sequitur tenor concordiæ.

» numerarius curiæ ecclesiasticæ hujus » civitatis, et diœcesis Legionensis te» stor, fidemque facio, qualiter per » acta mei sub die 22 Augusti curren» tis anni Illmus, et Rmus DD. Pascha» lis Erreros Dei, et sanctæ Sedis apo» stolicæ gratia Episcopus hujus diœ» cesis, regiusque consiliarius ex una, » et DD. Decanus, et Capitulum Ec» clesiæ cathedralis hujus civitatis, eo» rumque nomine, ac uti deputati, et » procuratores sufficientibus facultatibus » muniti DD. doctor D. Antonius Gar» zia de Brizuela scholasticus, et do» ctoralis, ac licentiati D. Paulus de » Mendoza prior poenitentiarius, D. Do» minicus de Gaztagnaga et Vrquia, et » D. Joseph Arnaez de Revillas lecto» ralis, ejusdem cathedralis Ecclesiæ » canonici, idemque D. Paulus de Men» doza nomine ac facto proprio, uti » prior poenitentiarius supradictus, ex » altera partibus, desiderantes pacem » inter D. suam illmam et Capitulum » præfatum efficaciter, et in perpetuum » restituere, mediante concordia de et » super controversiis alias motis ineunda » ad tramites jussionis a D. sua illma ipsis » insinuatæ per epistolium sub die 14. » Augusti anni proxime præteriti, ad » effectum docendi apud regiam catho» licam majestatem, quod ipsi totis » viribus, animique conatu curarunt » modum opportunum ad hujusmodi » concordiam ineundam reperire ad ef» fectum procedendi inter se mutua et » reciproca pace, ac tranquillitate, quam » eadem regia majestas ipsis tantopere » insinuaverat, præsertim propter ser» vitium Dei optimi maximi, anima» rumque quietem, et ad evitandas » diuturnas, sumptuosasque lites, præ» viis variis præliminaribus articulis, » tractatibus, ac resolutionibus desuper » habitis, tandem devenerunt ad sti» pulationem instrumenti publici con» cordiæ super sequentibus, nimirum:

» 1. Quoad controversiam agita» tam super dubio: an pœnitentiarius » ratione dignitatis prioratus, tamquam » rigorose parochus sit habendus; et » quatenus affirmative: an ad formam » sacri concilii tridentini, examini sy» nodali sit subjiciendus; illmus, et » rmus D. episcopus, DD. deputati, ac » D. pœnitentiarius proprio nomine con» venerunt, qualiter expositi sanctissi» mo domino nostro papæ utriusque » partis respectivis prætensionibus, ad » effectum quodcumque dubium, et » scrupulum ambarum partium evitan» di, de et super eo, an prior sit, nec » ne parochus, unanimi consensu eidem » sanctissimo domino nostro supplicetur » pro dispensatione ab examine syno» dali, quoad priorem modernum, » ejusque successores, et quatenus etiam » hujusmodi prior vere parochus cen» sendus esset, sufficiat in posterum » concursus, sive examen, quod ha» beatur, ad effectum obtinendi poeni» tentiariam, ut sine alio concursu, si» ve examine pænitentiarius pro tem» pore obtinere, ac exercere valeat, » prioratum eidem pœnitentiariæ, ri» gore bullæ suppressionis unitum, et » annexum. Itemque quod in vacatio» ne prioratus, a capitulo deputetur » aliquis ex capitularibus pro suo arbi» trio, ad effectum exercendi functio» nes priorales intra ecclesiam, et pro » cæteris functionibus ab eodem capi» tulo deputetur, sive proponatur pre» sbyter habilis, et idoneus sibi be» nevisus, qui prioris vices gerat; ea » tamen conditione, quod hujusmodi » nominatio in vicesgerentem prioris » ab ordinario approbetur, propter du» bium; an prior sit necne parochus. » insuperque, quod in edictis pro qua» cumque vacatione prioratus relaxan» dis exponantur in genere onera, qui» bus hactenus subjecti fuerunt, subij» cique debuerunt priores, quodque suf-

» ficiat exercitium pœnitentiariæ ad prio- » ratum obtinendum, et exercendum.

» 2. Quoad controversiam, sive » dubium suscitatum: an nimirum post » unionem de prioratu factam pœniten- » tiariæ vigore bullæ suppressionis pæ- » nes ordinarium resideat facultas con- » ferendi absque ulla independentia, et » per se solum dignitatem prioratus; » seu potius sufficiat collatio, quæ de » præbendis de officio nuncupatis in ca- » pitulo simultanee fieri solet a rmo » domino Episcopo, sive ejus vicario » generali, ac decano, sive primicerio » tamquam conjudicibus; quod quidem » dubium irresolutum remansit in tra- » ctatibus præviis, quia regia camera » resolutio expectabatur, quæ jam ædi- » ta fuit: ut ad illius exequutionem » sollicite, et remota omni dilatione, ac » scrupulo procedatur, conveniunt su- » pradictæ partes, tamquam in re tu- » tiori, magisque opportuna, compre- » hensis etiam cæteris tribus dignitati- » bus, præbendis de officio nuncupa- » tis, unitis, et adnexis quod respecti- » ve ad modernum priorem pœnitentia- » rium, dummodo tamen impetretur » apostolica dispensatio, de qua in præ- » cedenti capitulo, prout etiam quoad » cæteros modernos canonicos de offi- » cio nuncupatos, necessaria nequaquam » sit, nec censeatur, aliqua nova col- » latio, aut ulla cæremonia, sive actus, » ut ipsi dignitates adnexas exerceant, » præter collationem cæremonias, actus- » que ab ipsis jam respective habitam, » peractas, et exercitos ad effectum » obtinendi præbendas, quas obtinent; » quoniam D. sua illma approbat, et » extendit collationem ab ipsis, cæte- » risque dignitatibus receptam, ad effe- » ctum obtinendi præbendis, quæ illis » uniuntur, et adnectuntur: quo vero » ad successores canonicos de officio nun- » cupatos, supradictæ partes conveniunt, » quod per unam, eamdemque colla- » tionem præbendæ, quam a proviso » recipi contigerit, intelligatur quoque, » ac censeatur ab ipso recepta collatio » de dignitate unita, et adnexa; ea ta- » men sub distinctione, ut quoad col- » lationem dignitatis unitæ, et adne- » xæ, intelligatur, et censeatur recepta » ordinarii auctoritate tantum; atque » hi duo respectus accurate explicen- » tur in actu capitulari ea die celebran- » do; neque proinde rmus dominus » Episcopus, ejus tribunal obligare va- » leant provisum ad separatim, aut alia » sub forma recipiendam collationem » dignitatis; quoniam unico actu, et » modo præmisso ambæ collationes ab- » solute peragi debent.

» 3. Quoad controversiam super » eo, quod possessio immemorabilis, » quæ capitulo assistit in exercitio ju- » risdictionis ecclesiasticæ in oppidis Gor- » doncillo, Villanueva, et Palanquinos, » nequeat esse manutenibilis, capitu- » lum præfatum hac super re concor- » diam inire, litesque evitare cum rmo » domino Episcopo desiderans, ex nunc » pro tunc, et e contra sub benepla- » cito apostolico, hujusmodi jurisdictio- » nes eidem rmo domino Episcopo ce- » dit, reservato tantum sibi jure visi- » tandi ecclesias dictorum trium oppi- » dorum; ea tamen sub conditione, » quod a capitulo præfato sua peragi vi- » sitatio nequeat, nisi post annum a » visitatione habita a rmo domino Epi- » scopo, ac vicissim iste suam visitatio- » nem habere nequeat in dictis locis, nisi » post annum a visitatione per capitulum » peracta: addita etiam hac alia con- » ditione, quod etiamsi rmus dnus » Episcopus suam non peragat in di- » ctis locis visitationem, nihilominus » valeat capitulum suam indiscrimina- » tim peragere de biennio in biennium; » et decreta, quæ edi contigerit in visi- » tatione capitulari, revocari nequeant, » præter quam in alia visitatione, vel » a tribunali ecclesiastico, in judicio » tamen ordinario, non vero summa- » rio, minusque provisionali. Reservat » pariter sibi capitulum merum actum » collationis omnium beneficiorum, et » cappellaniarum nunc, et pro tempo- » re in dictis tribus oppidis existen- » tium; ordinario remanentibus cæte- » ris actibus antecedentibus, et con- » sequentibus ad collationem, quam » tamen peragere valeat rmus dnus » Episcopus, sive ejus vicarius genera- » lis de beneficiis, quæ ad præsenta- » tionem serenissimi regis in octo men- » sibus reservatis providentur. Et quo- » niam nullum occurrit dubium circa » præsentationem ad beneficia, quo- » rum juspatronatus in prædictis oppi- » dis capitulum obtinet, præsentibus » declaratur, idem capitulum manu- » tenendum esse in possessione huju- » smodi juris, et quoniam unum ex » præliminaribus conventis, illud est, » quod usque ad reportationem con- » firmationis apostolicæ super omnibus » hujus concordiæ partibus, res de qui- » bus agitur, in eisdem statu, et ter- » minis, in quibus modo reperiuntur, » perseverent, hinc ad quodcumque re- » movendum dubium, quinam sint;

» hujusmodi status, et termini, sicut
» supradictus dñus doctoralis deputatus
» reperitur ad exercendam jurisdictio-
» nem in oppidis Gordoncilli, et Sil-
» lænovæ, ac dominus Joseph Flores
» canonicus, tamquam modernus ad-
» ministrator hospitalis exercere debet
» jurisdictionem in oppido de Palanqui-
» nos; ita Dominatio sua illma suum
» præstat consensum, ad hoc ut pro-
» sequantur exercitium hujusmodi ju-
» risdictionum, donec confirmatio apo-
» stolica obtineatur.

» 4. Cum Dominatio sua illma in
» præcitato epistolio diei 14 Augusti ca-
» pitulo exposuerit, quod in arrenda-
» mentis ad vitam arrendatariorum,
» quæ inire solebat capitulum de red-
» ditibus, quos percipit ex locis Sil-
» lænovæ, et Villænovæ de Monzanas,
» nequaquam comprehendi possunt,
» aut debent, prout hactenus gestum
» est, juspatronatus, et cætera jura spi-
» ritualia; hinc significavit capitulum,
» se hanc in re adimplevisse quæcum-
» que promisit, atque resolvit in pri-
» mis tractatibus habitis; nam cano-
» nicus D. Didacus Escobar eidem ca-
» pitulo cessit jura spiritualia oppido
» Villænovæ de Manzanas adnexa, eam-
» demque cessionem pariter admittet
» capitulum, quatenus illam peraget
» D. Michael Chicarro Vitero de juribus
» spiritualibus Sillænovæ, ad quam ces-
» sionem faciendam Dominatio sua illma
» se instituram promittit.

» 5. Quoad controversiam, in
» qua capitulum supponendo se existe-
» re in possessione prætendebat quod
» in omnibus expeditionibus, quæ a
» curia ecclesiastica relaxantur ad ef-
» fectum compulsandi scripturas ex suo
» archivio capitulari, apponeretur clau-
» sula, canonicum nempe archiviarium
» scripturas de permissu capituli com-
» pulsare; idque a Dom. sue illma,
» tamquam suæ jurisdictioni adversum,
» impugnatur; conveniunt ambæ partes,
» ut, quatenus contingat, rmum do-
» minum Episcopum, ejusve vicarium
» generalem expeditiones relaxare pro
» faciendis compulsationibus ex archi-
» vio capituli, apponatur in eis clau-
» sula, qua injungatur notario com-
» pulsori ut ante notificationem expe-
» ditionis per medium canonici procu-
» ratoris generalis urbane agat cum ca-
» pitulo, ad effectum ut congregetur,
» et verbaliter mandet archiviario, quod
» contenta in expeditione exequatur.

» 6. Quoad controversiam, in
» qua Dominatio sua illma exponebat,
» suæ jurisdictioni liberam esse depu-
» tationem promotoris fiscalis, et no-
» tarii in causis, in quibus de exequu-
» torialibus agitur, et e converso id im-
» pugnabatur a capitulo, attenta con-
» suetudine, qua in hujusmodi causis
» promotoris fiscalis officium exerce-
» tur a suo procuratore generali, no-
» tarii vero ab uno ex canonicis cau-
» sarum a secretis, qui deputantur in
» electionibus officialium, quæ sub ini-
» tium cujuslibet anni fieri solent,
» conveniunt ambæ partes, quod in
» causis exequutorialium, quæ quidem
» de solis criminalibus intelliguntur;
» promotoris fiscalis munus exerceri
» debeat a procuratore generali capitu-
» li nunc, et pro tempore existente,
» notarii vero officium ab uno ex se-
» cretariis causarum in electione offi-
» cialium deputatis, quatenus vero con-
» tingat aliquam causam criminalem
» efformari contra eosdem secretarios
» deputatos, eligatur a capitulo alius,
» quem magis idoneum judicaverit;
» ejusque electio ad notitiam rmi dñi
» Episcopi deducatur, quo facto, et ab-
» sque controversia, hujusmodi electus
» ad exercendum officium notarii ha-
» bilitatus remaneat.

» 7. Quoad nominationem exa-
» minatorum synodalium, quam Do-
» minatio sua illma suæ jurisdictionis
» brevi, aut rescripto munita, actum
» facultativum esse contendit, ut eos
» nominet ex corpore capituli, vel extra,
» idque impugnat capitulum propter
» consuetudinem, quæ semper viguit,
» in hujusmodi examinatores deputan-
» di capitulares personas tantum, et non
» obstantibus juribus per capitulum de-
» ductis, Dominatio sua illma in ex-
» posita opione persistit. Hinc ambæ
» partes conveniunt, quod etiamsi Do-
» minatio sua illma, præfatam obti-
» neat facultatem hujusmodi examina-
» tores nominandi, illa tamen non ute-
» tur, sed nominationes cohibebit ad
» solum corpus capituli, ut tali pacto
» ostendat suam præconceptam opinio-
» nem, ac observantiam, quod nimi-
» rum inter capitulares suæ Ecclesiæ,
» qui præsertim sunt in copioso nume-
» ro quadragenario, habiles existunt,
» et reperiuntur ad omnia loca hu-
» jusmodi examinatorum implenda.

» 8. Quoad dubium occursum in
» ultimo concursu ad præbendam le-
» ctoralem habito super admissione cu-
» jusdam dispensationis ab uno ex con-
» currentibus productæ; prout etiam
» quoad examen, et recognitionem ju-

» rium, et documentorum, quæ in » concurrentibus necessaria sunt, utraque pars convenit, quod Rmus dominus Episcopus, sive ejus vicarius » generalis unum tantum suffragium ferre valeant, sicut quicumque alius ex » cæteris judicibus concursus a capitulo » deputatis, pro eo, quod attinet ad » recognitionem jurium, et documentorum, illorumque admissionem, et » probationem, ac cæteros quoscumque » actus, in quibus contentiose non agatur; at vero in iis actis, in quibus » lis emerserit inter concurrentes super » aliqua materia ad concursum spectante, privative in illa agat, et sententiam ferat Rmus dominus Episcopus, » sive ejus curiæ offficialis.

» 9. Quoad prætensionem Rmi » domini Episcopi circa observationem » cæremonialis, usum baldacchini, » sedis, et super ejus receptione, quæ » omnia fuerunt impugnata a capitulo » propter contrariam consuetudinem, » cæterasque rationes adductas, idem » Rmus dominus Episcopus cedit, atque desistit ab usu baldacchini in ecclesia, sedisque gestatoriæ in processione SSmi Sacramenti, aliisque processionibus generalibus; quovero ad » ipsius receptionem occasione accedendi ad ecclesiam celebrandi causa » divina officia, aut missam pontificalem, capituli urbanitati eam relinquit; remanente tamen in suo robore, et vigore, consuetudine associandi in egressu, prout etiam recipiendi Rmum dominum Episcopum » ad aulam capitularem pergentem.

» 10. Quoad aliam prætensionem » Rmi domini Episcopi, in eo consistentem, quod scilicet non obstante » possessione, in qua capitulum existit, præsentandi ad suas parochiales, et beneficia, ab eodem Rmo domino Episcopo minime impugnata, » declaretur tamen in judicio proprietatis, seu petitorio, hujusmodi jus spectare, et pertinere ad episcopalem dignitatem; præfatus Rmus dominus » Episcopus amodo cedit, atque desistit ab hujusmodi prætensione, remanente tamen in suo robore, et vigore provisione parochialium mediante concursu, et Rmus dominus Episcopus tres ex approbatis proponat.

» 11. Quatenus Rmus dominus » Episcopus necessariam, et opportunam fore putaret suæ cathedralis ecclesiæ visitationem, petiit a capitulo » jura, et acta ad ipsam spectantia, » ea tamen sub conditione procedendi » hac in re summa cum bona pace; » desuperque plura dubia occurrerunt; » Dominatio sua illma, ingravescentem » suam ætatem, gravesque proprio officio adnexas necessarias occupationes, totum hominem exigentes, attendens, ac de cætero necessariam » saltem pro nunc nequaquam existimans ejusdem ecclesiæ cathedralis » visitationem, quoniam in illius specula constitutus reperitur, nihilque » remedio dignum in ea animadvertit; » immo quæcumque negotia concorditer geruntur absque solemnitate visitationis, et quotannis una cum capitulo interest discussioni rationum fabricæ, operumque piorum majoris » relevantiæ; præmissis quidem attentis, eadem Dominatio sua illma convenit, ut, quatenus necessariam, seu » oportunam fore existimaverit præfatæ » ecclesiæ visitationem, eamque peragere sibi sinant propria valetudo, et » occupationes, illam non aliter peracturus erit, quam ad formam concordiæ bo: me: Episcopi Sanctis de Risoba, et ultimi status, ac sub protestationibus in illa contentis, aliisque, » quas opportunas judicaverit; quo casu ad effectum hujusmodi visitationem peragendi ostendenda erunt jura, et acta, quæ pænes capitulum » habeantur, et necessaria existimentur.

» Quæ omnia prout superius expressa sunt, et in citato concordiæ » instrumento continentur, ambæ partes se obligarunt observaturas, et ad » literam adimpleturas absque ulla transgressione, decreveruntque SSmo Domino Nostro supplicare, ut benigne » dignetur respicere justa desideria, et » supplicationem ipsorum transigentium, concordiam hujusmodi approbando, et confirmando, suasque apostolicas literas confirmationis desuper » expediendo ad perpetuam rei memoriam, ne scilicet ulla ex partibus transigentibus, minusque ipsarum successores adversus id, quod transactum » est, actionem instituere, aut ullatenus contraire præsumant, ad quem » effectum Rmus dominus Episcopus, » et DD. Deputati procuratores mihi infrascripto mandarunt, ut de præmissis authenticum testimonium perhiberem, quod cum præsentibus, et » relatione ad originalia tam dictæ concordiæ, pænes me in officio mei existentis, et supradicti epistolii die 14. » Augusti mihi exhibiti, rogatus in fidem trado, signo, ac subscribo. Le-

» gione in Hispaniis die 9. Septem-
» bris 1767.

Loco ✠ Signi

Franciscus Rodriguez Not. rog. in fidem etc.

Preces porrectæ pro præfatæ concordiæ approbatione, et Pontificis assensus, additis specialibus declarationibus.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius in dictis undecim articulis, et in instrumento hujusmodi contenta subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri dicti exponentes summopere desiderent; Nos ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis eorum nomine humiliter porretis inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpetrum, qui votum dilecti filii nostri Andreæ S. R. E. diaconi Cardinalis Corsini nuncupati ad negotium hujusmodi examinandum ab ipsis deputati perpenderunt consilio, præinsertos articulos, et instrumentum cum omnibus, et singulis in eis contentis in hunc, qui sequitur modum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, volentes nempe, quod primum articulum, quod pœnitentiarius ratione dignitatis prioratus novo examini subiiciendus non sit, dummodo præcedenter in obtinenda pœnitentiaria legitimi examinis experimentum subierit, et in casu vacationis prioratus, is qui interim deputabitur, idoneus, ac legitime approbatus sit ad exercitium curæ animarum. Quoad tertio, quod salva semper, et illæsa remanere debeat jurisdictio Episcopi, sive ordinaria, sive delegata in iis saltem casibus, qui vel ad corrigendos mores, vel ad disciplinam restaurandam nullam patiuntur moram, sed celeri, subitoque remedio reparandi sunt. Quoad quartum, quod facultas eligendi promotorem fiscalem, et notarium semper in Episcopo residere debeat, verum uterque de capituli gremio eligendus, et seligendus sit. Quoad septimum, quod servetur quidquid in eo conventum est durante tantummodo vita dicti Paschalis moderni Episcopi, et dummodo in examinatoribus synodalibus eligendis de gremio capituli concurrant requisita præscripta a sacro concilio Tridentino sess. 24. cap. 13. de reform. Quoad nonum, quod firma, et illæsa remanere debeant generalia decreta tam dictæ, quam alterius congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, eaque in casu servanda sint, ne quid suæ dignitatis remittat Episcopus, neque capitulum graviori, quam quod debet, gravetur obsequio. Quoad ultimum denique articulum, quod in eo contenta, salvis, firmisque remanentibus juribus utriusque partis per modum provisionis, et durante vita ejusdem Paschalis hodierni Episcopi contemporanee tantum exequenda sint, et in reliquis omnibus articulos prædictos exequendos esse volumus, atque decernimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate primodictæ congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de latere legatos, et ejusdem sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit ecclesiæ, et capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum teno-

res præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XIX. Aprilis MDCCLXVIII., pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 20. Aprilis 1768. Ann. X.

## DCLXI.

Confirmatio nonnullorum decretorum pro bono regimine congregationis Cælestinorum ordinis S. Benedicti.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur decreta edita a definitorio congregationis, et horum confirmatio Pontifici postulatur.

§. 1. Injuncti Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam religiosorum virorum altissimi obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ instituto mancipatorum curam gerentes, ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, et gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate permaneant, apostolici muniminis præsidio roboremus: exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas generalis congregationis Cœlestinorum ordinis sancti Benedicti, quod in nupero capitulo generali ejusdem congregationis habito mense Maii anni MDCCLXV. ab ejus definitorio nonnulla decreta edita fuerunt, quæ meliorem, utilioremque præfatæ congregationis directionem respiciunt, quæque apostolica auctoritate approbari, et confirmari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex decreta remittit confirmanda arbitrio Cardinalis protectoris.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito voto venerabilis fratris nostri Karoli Alberti Guidoboni presbyteri Cardinalis Cavalchini nuncupati Episcopi Ostiensis, et Veliternensis, ac ejusdem congregationis apud Nos, et sedem apostolicam protectoris; nec non simul audita relatione venerabilis fratris Francisci Archiepiscopi Patracensis congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositæ secretarii, preces desuper Nobis porrectas eidem Karolo Alberto Guidobono Cardinali et protectori remissimus, ut pro suo arbitrio, et prudentia petitam confirmationem eorumdem decretorum indulgeret; ipse vero Karolus Albertus Guidobonus Cardinalis, et protector decreta prædicta in hunc, qui sequitur, modum extendenda esse censuit, videlicet.

Sequitur tenor decretorum confirmatorum ab Emo Protectore.

» 1. Lectores omnes tam philosophiæ, quam theologiæ, prout alias decretum fuit a capitulo generali anni 1725., post emensum duodennale lecturæ curriculum (nisi pro rerum, ac temporis opportunitate definitorio generali, vel diætæ provinciali visum fuerit, ut eorum alicui novæ concedantur literæ patentes pro diuturniori lecturæ exercitio) ab ea vacabunt, ac uti emeriti fruentur privilegiis omnibus, quæ lectoribus a nostris constitutionibus tribuuntur, excepto illo exemptionis a choro, iique subsidio aliquo, si indigeant, donabuntur arbitrio rmi patris Generalis. Præcedentiæ vero locum habebunt emeriti quidem lectores philosophiæ supra lectores actuales pariter philosophiæ, ac emeriti lectores theologiæ, cedentque tantum lectoribus actualibus in exercitio lecturæ antiquioribus, ac etiam (si lectores emeriti philosophiæ fuerint) lectoribus actualibus theologiæ juxta pristinum morem religionis.

» 2. Monachi, qui per integrum duodennium cancellarii munus in nostro Corropolitano monasterio laudabiliter exercuerint, voce gaudeant passiva ad abbatias, ad instar abilitationis pro-cancellarii archicænobii sancti Spiritus de Murrone.

» 3. Professorum magistri diligenter incumbant custodiendæ, servandæque professoriorum clausuræ, in quibus iidem professi detineantur, donec studiorum cursum compleverint, etiamsi presbyteratus ordine fuerint insigniti; ad hunc tamen nullus in posterum promoveatur ante annum vigesimum quartum completum juxta sacrorum canonum præscripta.

» 4. Oblati nostræ congregationis, quemadmodum decreto in capitulo

» generali alias edito cavetur, nullatenus ad professionem admittantur, nisi postquam per integrum decennium a die religiosi habitus juxta constitutiones ordinis suscepti inchoandum, vitam laudabiliter duxerint in religione.

» 5. Ut Archicænobium sancti Spiritus de Murrone quoquomodo sublevetur a gravissimis sumptibus, quos substinet pro celebrandis capitulis generalibus, confirmatur taxa ducatorum decem in antecedentibus provincialibus dietis imposita, et a PP. Abbatibus in quolibet capitulo generali solvenda in ejusdem Archicænobii beneficium.

C. A. Cardinali Cavalchini Protector.

Loco ✠ Signi

Pontifex præmissa decreta confirmat, et approbat.

§. 3. Ut autem præmissa omnia decreta firmius subsistant, et serventur exactius, ea cum omnibus, et singulis in præinsertis decretis contentis tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibusqumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritatibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habenentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris die xx. Aprilis MDCCLXVIII pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCLXII.

Dat. die 20 Aprilis 1768. Ann. X.

Prævia commutatione ultimæ voluntatis quondam Fatii Pongelli, ejus bona hæreditaria applicantur hospitali pauperum, et expositorum civitatis Camerini.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor dispositionis Fatii Pongelli.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni deputati hospitalis civitatis Camerinensis, quod alias tunc in humanis agens quon. Fatius Pongelli ex oppido Belforti nuncupato, Camerinensis diæcesis in suo ultimo testamento condito die XIV Decembris MDCCLVI per acta dilecti filii Dominici Petruccini notarii post obitum Karoli sui filii sine filiis legitimis, et naturalibus, vulgariter, pupillariter, et per modum strictioris fideicommissi vocavit, et substituit animam tam propriam, quam sui patris, et avi, mandavitque, ut in posterum fructus, et redditus suæ hæreditatis vendendi essent, atque ex prætio a venditione hujusmodi retrahendo (demptis expensis, etiam ministri vulgo fattore nuncupati) in perpetuum, ac infinitum quot annis tot missæ celebrari deberent pro animabus dicti testatoris, suiqui patris, et avi, soluta eleemosyna obulorum viginti pro qualibet missa: administrationem vero suæ hæreditatis atque jus celebrari faciendi hujusmodi missas dictus Fatius testator reliquit, et concessit Ludovico Valeriani, suisque filiis, et sccessoribus in infinitum, semper inter eos majorem cæteris præferendo, ac ita de descendentia in descendentiam servandum esse mandavit, tributa omnibus prædictis facultate nominandi sacerdotes, eosque ad nutum, et sine causa removendi, aliosque subrogandi pro celebratione hujusmodi missarum peragenda in una, seu pluribus ecclesiis, prout prædictis

Ludovico administratori, suisque filiis, et successoribus, videbitur, designandis, et commutandis, ita ut celebrationem hujusmodi missarum ab una seu pluribus ecclesiis ipsi in alias ecclesias cujuscumque loci, et civitatis toties, quoties eis visum fuisset, transferre possent, ac valerent, et alias prout in dicti Fatii testamento, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Preces directæ pro applicatione hæreditatis Pongelli hospitali Camerini.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Karolus ejusdem Fatii testatoris filius, sine filiis decesserit, ideoque volitæ substitutioni hujusmodi locus factus fuerit; memoratum vero hospitale tot oneribus, et expensis gravatum undique sit, ut illius bonorum fructus, ac redditus impares omnino ad ea subeunda dignoscantur, neque aliunde sane ullus suppetat modus, quo opem, auxiliumque aliquod hospitali hujusmodi præstari possit, et ne opus istud publicæ populi dictæ civitatis, suæque diœcesis tranquillitati, ac expositorum infantium alimoniæ, et æducationi, fœminarumque expositarum dotationi, ac pauperum infirmorum in eo curandorum levamini, admodum utile, ac quam maxime necessarium propter reddituum tenuitatem deficiat, dicti exponentes omnia bona, et quæcumque jura, ac credita ad hæreditatem dicti Fatii pertinentia, una cum eorum, fructibus, redditibus, et proventibus eidem hospitali perpetuo per Nos concedi, assignari, et applicarsi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit exceptis nonnullis bonis, et injuncto hospitali honere binarum missarum quolibet die pro testatoris suffragio.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nostri Petri Pauli S. R. E. presbyteri Cardinalis de Comitibus nuncupati ejusdem hospitalis protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati, prædicta omnia bona, credita, et jura quæcumque hæreditaria memorati Fatii testatoris ubicumque posita, et existentia, ac ad hæreditatem illius quocumque modo spectantia (demptis, et exceptis bonis inferius exprimendis) prædicto hospitali civitatis Camerinensis in ejus subventionem, et auxilium auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo concedimus, assignamus, et applicamus, ac una cum aliis ejusdem hospitalis bonis dicta auctoritate, et tenore unimus, annectimus, et incorporamus, ea tamen lege, ut nunc, et pro tempore existentes ejusdem hospitalis deputati, ac ministri quotidie duas missas in suffragium animæ tam prædicti testatoris, quam ejus patris, et avi in ecclesia hospitalis hujusmodi perpetuo celebrare facere debeant, ac dicti hospitalis communitas die qualibet pro anima tam ipsius testatoris, quam aliorum, ut præfertur, ab ipso nominatorum, psalmum de profundis recitare teneatur.

Nonnulla bona assignantur in perpetuum familiæ administratoris destinatæ a testatore.

§. 4. Præterea indemnitati quoque omnium de familia Valeriani prædicta, ejusque successorum, quibus tam administratio bonorum hæreditariorum hujusmodi, quam jus nominandi ecclesias, ac eligendi presbyteros pro celebratione missarum relictum fuerat a dicto Fatio testatore, ut præfertur, paterna benignitate consulere volentes pro tempore existenti Episcopo Camerinensis per præsentes committimus, et mandamus, ut reddita prius coram eo per dilectum filium Josephum Valeriani ratione administrationis hactenus gestæ jurium, et bonorum omnium hæreditariorum dicti Fatii testatoris, eidem Josepho, nec non etiam dilecto filio Stephano Valeriani ejus fratri pro se, ac eorum successoribus quibuscumque, accedente ad id consensu dictorum exponentium, una cum domo urbana ejusdem testatoris existenti in dicto oppido Belfortis, sive in ejus suburbiis, ac mobilibus omnibus cujuscumque generis in domo hujusmodi extantibus, prædium in territorio nuncupato, di borgiano, una cum suis adnexis ad hæreditatem pertinens dicti Fatii testatoris, memoratus Episcopus auctoritate, et tenore prædictis perpetuo concedat, et assignet.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam enormis enormissimæ læsionis, nullo

unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, et retractari, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus supradicti Fatii testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima prima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 21. Aprilis 1768. Anno X.

## DCLXIII.

Confirmatio fundationis hospitalis in civitate Leodicesi, et conventionum, et pactorum initorum cum religiosis S. Joannis de Deo.

### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur pia dispositio sacerdotis Fissiraga super erectione facienda novi hospitalis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Generalis, et definitores generales fratrum ordinis sancti Joannis Dei, quod alias tunc in humanis agens Antonius Fissiraga nobilis Laudensis civitatis in suo ultimo testamento jussit, et mandavit, ut ex portione bonorum sui patrimonii in sua propria nobili domo paterna in dicta civitate existente erigi, constitui, et fundari deberet unum hospitale sub nomine loci pii charitatis cum decem, et octo pro nunc cubilibus et cum obligatione quod auctis redditibus bonorum ab ipso relictorum, cubilium quoque hujusmodi numerus augendus esset, in quo sane hospitali admitti, et curari deberent dumtaxat presbyteri sæculares, clerici in sacris ordinibus constituti, nobiles quoque Laudenses in pauperiem prolapsi, ac cives denique ejusdem civitatis, qui egeni, et civilis essent conditionis. Administrationem autem, et curam hospitalis hujusmodi idem Antonius testator reliquit fratribus dicti ordinis, qui in pauperibus infirmis curandis, eisque spiritualibus, ac temporalibus subsidiis adjuvandis singularem adhibent magna cum ipsorum laude charitatem. Denique præmissorum omnium complementum ea, qua fieri posset, celeritate testator ipse suis executoribus testamentariis comisit, ac alias prout in dicti Antonii testamento, cujus tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

In fundatoris voluntatis implementum peculiares conventiones conciliatæ fuere cum religiosis viris S. Joannis de Deo.

§. 2. Ut igitur ea, quæ idem testator præscripserat executioni demandarentur præfati exponentes publico desuper confecto instrumento diei VI. Februarii currentis anni per acta Vannoj notarii curiæ Capitolii almæ hujus Urbis elegerunt, ac nominarunt dilectos filios Julium Sormanni nunc provincialem provinciæ Mediolanensis, et Joannem Evangelistam Pincitolli ex-procuratorem generalem, ac modo priorem conventus, et hospitalis sancti Antonii Bononiensis ordinis hujusmodi, eisque facultatem tribuerunt ineundi contractum fundationis, et curæ hospitalis a dicto testatore, ut præfertur, voliti, cum illius executoribus, aliisve, ad quos pertinebat, ac sub iis pactis, capitulis, et conditionibus, quæ inter partes statutæ, ac conventæ fuissent, et alias prout in dicto instrumento, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quaproptr, annuente carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Romanorum, ac Hungariæ apostolicæ, et Bohemiæ regina illustri, inter dictos Julium, et Joannem Evangelistam procuratores ab ipsis exponentibus, ut præfertur, constitutos, et dilectum filium Arnulphum Fissiraga congregationis clericorum regularium sancti Pauli decollati Barnabitam nuncupatum professorem, ac hæreditatis dicti Antonii testatoris ejus fratris administratorem super fundatione, et cura hospitalis hujusmodi die XII. Martii currentis anni per scripturam ab eisdem Julio, Joanne Evangelista, et Arnulpho subscriptam conventæ fuerunt fundationis, et curæ hospitalis prædicti leges conventiones, et pacta in hunc, qui sequitur modum videlicet

Sequitur tenor conventionum.

» 1. Che la detta religione di S. Giovanni di Dio, e per essa li detti molto RR. PP. Procuratori constituiti dalla stessa siano tenuti accettare, ed in se assumere l'obbligo di assistere alla cura degl' infermi nel sudetto ospedale, come hanno accettato, ed assumono con li patti, modi, e condizioni infrascritte.

» 2. Che dalla detta eredità Fissiraga debba farsi edificare, ossia adattare la casa del nobile Fissiraga in Lodi nella contrada di S. Francesco isola di S. Egidio in ospedale, chiesa, ed abitazione per li religiosi, che come sopra dovranno assistere agl' infermi del medesimo ospedale, secondo la pianta, che verrà conciliata, ed approvata anche in vista de' suggerimenti de' medesimi padri perciò, che si credesse più adattato, ed opportuno ad un pronto, ed esatto servigio degl' infermi.

» 3. Il sudetto ospedale porterà il titolo di luogo Pio della carità, e sopra la porta del medesimo dovrà esser posta una lapide di marmo nero con scolpite le seguenti parole a tenore del disposto dal preaccennato pio fondatore = *Olim Fissiraga domus nunc locus pius charitatis anno Domini* = Quest' ospedale precisamente dovrà essere aperto, e servire per li poveri infermi sacerdoti, chierici posti in sacris, nobili decaduti, ed altre persone civili a norma del disposto del pio testatore, quali dovranno essere da sudetti religiosi assistiti colla maggior carità, ed attenzione dal quale ospedale saranno assolutamente esclusi l' infermi di morbo gallico, etici, tisici, idropici, asmatici, e pazzi.

» 4 Sarà a carico della predetta religione di S. Giovanni di Dio, e de' religiosi, che verranno trascelti al detto ospedale la cura degl' infermi come sopra, il vitto di questi, il vitto, vestiario, e viatici de' religiosi medesimi, che come sopra saranno assegnati a detto ospedale, e che dovranno assistere giorno, e notte agli accennati infermi, e la manutenzione de' mobili tutti, e supelettili tanto per servizio dell'ospedale, ed infermi, quanto per proprio uso de' medesimi religiosi, niente affatto eccettuato, provisti che saranno della detta eredità, come abbasso.

» 5. All'incontro sarà a carico dell' eredità Fissiraga la prestazione di tutti li medicinali tanto per servizio degl'infermi dell'ospedale, quanto in caso s' infermasse alcuno de' religiosi assistenti, e per questa somministrazione dovrà l'eredità convenire con uno de' migliori accreditati speziali della città di Lodi.

» 6. Sarà pure a carico dell' eredità sudetta il stipendiare un medico alla cura degl' infermi, che saranno ammessi al sudetto ospedale, e de' religiosi assistenti, così pure un chirurgo per servizio dell'ospedale, e casi particolari, specialmente per li casi di feriti, o simili, ove abisognasse fare giudizio, o relazione al foro secolare, e ciò che conviene più a questi, che ad un religoso, il quale medico, o chirurgo come sopra dovranno essere eletti dai sigg. deputati, e questi dovranno procedere nella cura degl' infermi con dipendenza de' predetti religiosi assistenti troppo necessaria al buon ordine, e vantaggio degli ammalati.

» 7. Per correspettivo di tutte le cose, ed obblighi come sopra assunti, e d'assumersi qui abbasso da detti RR. PP. Procuratori in nome della predetta loro religione si pagheranno a medesimi religiosi, che saranno destinati per detto ospedale, ossia al loro superiore dalla predetta eredità Fissiraga annue lire quattrocento in tanti zecchini giliati di giusto peso a lire quindici per cadauno d' essi zecchini e per ciascun letto, che verrà posto in detto ospedale, che per ora si fissano in numero di dieciotto a norma dell' ordinato del testatore, e queste ripartitamente, ed anticipatamente di trimestre in trimestre sino in perpetuo, a condizione però, che a religiosi, che saranno assegnati, e risiederanno in detto ospedale all' assistenza degl' infermi se li debba pagare dalla religione lire quindici annue di più di quello, che la medesima suole passargli a titolo di vestiario, e questo per maggiormente eccitare la loro carità alla diligente cura degli accennati infermi, avendosi a ciò avuto riguardo nella fissazione di detta annua pensione.

» 8. La deputazione de' religiosi tutti, che dovranno assistere all'ospedale dovrà farsi da superiori della religione, senza che alcuno in questa parte possa ingerirsi.

» 9. Sarà a carico dell' eredità il provedere li mobili necessarj all' instruimento di detto ospedale, cioè per ogni letto dovrà provvedersi la lettie-

» ra di ferro con colonne simili, suo » baldacchino, ossia trabacca ( secon- » do il modello, che si concilierà ) col- » le sue tendine, e coperta compagne, » tre tavole alla longa, un pagliariccio, » due matarazzi, un capezzale, due » cuscini, tre coperte di lana, tre pa- » ja di lenzuola, sei foderette, sei to- » vaglioli, dodici tovaglie per l' appa- » recchio della mensa degl' infermi, » con dodici sciugatorj per dar da la- » vare le mani agl' infermi prima del » pranzo, e cena, due camice per let- » to, quattro berettini, due di bom- » bace per l' inverno, e due di tela per » l' estate, due vesti di camera, una di » panno per l' inverno, ed una di tela » rigata a colori per l'estate, un pajo » di pianelle: tra un letto, e l'altro un » tavolino fermato nel muro con due » cassetti, un cassabanco, che servirà » di comodo anche per riporvi gli ori- » nali per maggiore pulizia, e che ser- » viranno a due letti per metà: oltre » le sudette cose necessarie per cadaun » letto, dovrà prestarsi qualche scorta » sufficiente, massime de' materassi, » che servir dovranno per mutare gli » aggravati di male in caso di bisogno.

» 10. Si dovranno pure provvedere » dalla detta eredità tutti li rami, stagni, » ed altro necessario per servizio dell' » ospedale, cucina, e refettorio secon- » do la nota conciliata, e da inserirsi » nel futuro istromento, tanto per quel- » lo possa abbisognare all'ospedale, che » a religiosi.

» 11 Si dovranno parimenti prov- » vedere dall'eredità stessa tutte le su- » pelettili a religiosi, che saranno as- » segnati al succennato ospedale per uso » della loro rispettiva stanza, cioè per » ognuno di essi un letto di tre banche » con pagliariccio, due materazzi, trè » cuscini grandi, due paja di lenzuo- » la; sei foderette, due coperte di la- » na con una sopra copertina di colo- » re, un cantarano un tavolino, un » genuflessorio, ed una comoda con » quattro sedie.

» 12. Non potranno li succennati » religiosi approfittare in modo alcuno, » nè per qualunque titolo de' panni di » quegli infermi, che moriranno nell' » ospedale, ne tampoco del denaro, che » si trovasse, ma dovranno gli uni, e » gli altri conservare per consegnarli ai » signori deputati da quali se ne farà » quell'uso, che loro crederanno.

» 13. Avrà pure l'obbligo l'ere- » dità, ridotta, che sarà la chiesa an- » nessa al detto ospedale, al suo es- » sere, di provvedere tutti gli arredi » sacri, che saranno necessarj per l'in- » struimento, e decoro della medesi- » ma, e per l'altare che sarà eretto nella » crociera, anzi si consegneranno al su- » periore, e religiosi, che saranno as- » segnati a detto ospedale li sei can- » delieri d'argento, con li quattro va- » si, sua croce, tre tavolette, calice, » e patena d'argento, che si tenevano » in vita dal testatore ad uso della pro- » pria privata cappella, e per disposi- » zione comunicata al succennato M. » R. P. Fissiraga fratello, destinati ad » uso, ed ornamento della chiesa di » detto ospedale, con dichiarazione, » che detti argenti sempre sino in per- » petuo rimaner debbano ad uso ed or- » namento come sopra, senza che mai » per qualunque titolo, e causa anche » delle più impensate si possa da detti » religiosi distrarli, o convertirli in al- » tro uso, e neppure imprestarli ad al- » cuno sotto pena della rifusione del loro » valore, e dell'immediato rifacimento, » tale essendo stata la mente del de- » fonto testatore.

» 14. Provisti che saranno li detti » arredi sacri, ne sarà pure a carico » de'preaccennati religiosi, o religione » di S. Giovanni di Dio la perpetua lo- » ro manutenzione in forma lodevole, » senza ulteriore obbligo, benchè me- » nomo di detta eredità per essersi avu- » to a tutto l'opportuno riguardo nell' » assentamento dell'annua pensione di » lire 400, come sopra.

» 15. Alle riparazioni, e manu- » tenzione di tutta la fabrica, cioè dell' » ospedale, abitazione de' religiosi, e » chiesa sarà tenuta la predetta eredi- » tà Fissiraga fino in perpetuo, come » in perpetuo saranno tenuti li religiosi » di S. Giovanni di Dio alla manuten- » zione de'mobili, supellettili, ed ar- » redi come sopra.

» 16. Ridotta, che sarà la casa » come sopra in ospedale, ed abitazio- » ne de'religiosi, e provvista de' mo- » bili, e supellettili come sopra, si fa- » rà luogo all'immediata esecuzione di » quanto resta nella presente recipro- » camente convenuto, ed entrando li » detti padri alla cura di detto ospe- » dale saranno tenuti ricevere la con- » segna di tutti li mobili, e supelet- » tili, di cui come sopra verrà instrut- » to il detto ospedale, stanze de'reli- » giosi, chiesa, e cappella per man- » tenerli in forma lodevole come so- » pra, facendo l' opportuna ricevuta a » favore della detta eredità acciò in ogni

» tempo possa costare della loro quantità, e qualità.

» 17. Li religiosi predetti dovranno assistere giorno, e notte agl' infermi secondo il prescritto dal loro santo fondatore Giovanni di Dio, regole, consuetudine della religione, ed ordinazioni de'loro superiori.

» 18. Ogni lunedì uno de'due sacerdoti, che saranno assegnati a detto ospedale dovrà applicare la S. messa per le anime de' defonti nel detto ospedale, senza che possano per questa messa pretendere alcuna elemosina: saranno altresì tenuti far celebrare ogni giorno la messa nell'ospedale per l'anima del succennato pio fondatore Fissiraga, ed anche a beneficio degl'infermi, che saranno nell' ospedale medesimo, per la qual messa quotidiana sarà tenuta l'eredità corrispondere a detti religiosi l' annua elemosina stabilita dal fondatore fu don Antonio Fissiraga in lire quattrocento compresa la manutenzione.

» 19. Li religiosi sacerdoti, che saranno come sopra assegnati al detto ospedale avranno l' obbligo a tenore anche delle regole, e costituzioni della loro religione di assistere spiritualmente gl'infermi, cioè confessarli, comunicarli, estrema unzione, ed assistere li moribondi, ed in tutt' altro, che fosse necessario per la salute dell' anime loro a norma della instituzione, e privilegj concessi alla religione dalla santa Sede.

» Le premesse convenzioni si riterrano mai sempre fra se correspettive, ed individue, e dovranno rattificarsi per pubblico, e giurato istromento, mediante l'opportuno beneplacito apostolico da riportarsi da detti RR. PP. di S. Giovanni di Dio, ed intanto per l'inalterabile osservanza, ed adempimento delle medesime li predetti molto RR. PP. Sormani, e Pincivoli, quali procuratori come sopra hanno obbligato, ed obbligano li beni di essa loro religione, ed il detto M. R. P. Fissiraga ne modi come sopra li beni, e sostanze tutte lasciate dal detto fu sig. D. Antonio Fissiraga di lui fratello, a tenore anche del da lui disposto, dovendo frattanto la presente restare nelle abbreviature dell'infrascritto signor notaro, con facoltà di darne copia, rimossa ogni eccezione, sotto rifazione ec. e per fede ec.

*Preces porrectæ pro supra*

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat quo firmius hospitalis hujusmodi fundatio, ac erectio, et præmissæ desuper leges, convenctiones, ac pacta subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio dicti exponentes communiri plurimum desiderent. Nos ipsis exponentibus specialem gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati hospitalis hujusmodi fundationem cum præinsertis pactis, et conventionibus, aliisque in eis contentis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

*relatarum conventionum confirmatione, et pontificia approbatio.*

*Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces, existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimus, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenoris præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI.

Aprilis MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 28. Aprilis 1768. Ann. X.

## DCLXIV.

Brevia Innocentii XIII quibus privilegia alias concessa fuere militiæ B. Mariæ Theutonicorum confirmantur et approbantur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Sacrosancti apostolatus sollicitudo, quam meritis licet, et viribus longe impares, auctore Deo gerimus, postulat, ut ea quæ a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in militarium ordinum maximo christianæ reipublicæ bono anteactis temporibus institutorum decus, et incrementum constituta, et provide ordinata fuisse noscuntur, quo firmiorem obtineant vim nostræ confirmationis patrocinio, dum id a Nobis petitur, roboremus, prout cognoscimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem a fel. rec. Innocentio Papa XIII emanarunt literæ in simili forma brevis tenoris sequentis, videlicet. = Innocentius Papa XIII. =

Tenor primi brevis Innocentii XIII.

» Ad perpetuam rei memoriam. » Inescrutabili divinæ sapientiæ, atque » clementiæ arcano, in apostolicæ dignitatis fastigio constituti, illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris in favorem ordinum militarium » ad christiani nominis tutelam pie, » salubriterque institutorum fideli dispensatione, prudentique liberalitate » emanarunt, ut firma semper, atque » stabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur libenter roboramus. Dudum » siquidem fel. rec. Gregorius PP. XV. » prædecessor noster omnia, et singula » privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, et » gratias tam per se, Sedemque apostolicam, quam per rec. me. Leonem X, Clementem VII, Paulum III, » Pium IV, Pium V, Gregorium XIII, » Sixtum V, Gregorium XIV, Clementem VIII, et Paulum V Romanos Pontifices similiter prædecessores » nostros, dilectis filiis Magno Magistro, et conventui hospitalis Sancti » Joannis Hierosolymitani, illiusque » Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus » Commendatariis, Fratribus militibus, » subditis, vassallis, colonis, et presbyteris curam animarum exercentibus concessa, et respective confirmata Hospitali domus Beatæ Mariæ » Theutonicorum, ejusque Magistro, » Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, » Commendatariis, fratribus militibus, » subditis, vassallis, colonis, et presbyteris curam animarum exercentibus concessit. Decernens Hospitale » Beatæ Mariæ Theutonicorum, illiusque Magistrum, Priores, Bajulivos, » Præceptores, Commendatarios fratres » milites, subditos, vassallos, colonos, » et presbyteros nullis aliis privilegiis, » gratiis, et indultis, quatenus in hujus modi concessione non comprehenderentur, quovis prætextu, et ex quacumque causa uti, frui, et gaudere » posse, nec debere, quin imo illa omnia cessare, et irrita, et nulla, nulliusque roboris, et momenti esse, et » fore, prout in dictis Gregorii prædecessoris in forma brevis desuper » sub die XXIII Decembris MDCXXII » expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, » plenius continetur. Et subinde piæ » memoriæ Urbanus VIII, Clemens IX, » Clemens X, et Innocentius XI Romani Pontifices etiam prædecessores nostri per suas pariter in forma brevis » die XIX Januarii MDCXXIV, et die IX » Junii MDCLXVIII. ac die XXX Augusti MDCLXX, nec non die VIII Januariii MDCLXXVII. respective expeditas literas, quarum tenores præsentibus itidem haberi volumus pro » expressis, jam dictas Gregorii prædecessoris literas sub certis modo, et » forma tunc expressis confirmarunt, et » approbarunt. Cum autem sicut dilectus filius Noster Damianus Hugo S. » R. E. Cardinalis de Schonborn nuncupatus, Ecclesiæ Spirensis ex concessione, et dispensatione apostolica » præsul pro parte dilectorum filiorum » Magni Magistri, et fratrum militum » dicti Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum, cujus dictus Damianus » Hugo Cardinalis, et præsul ex simili » concessione, et dispensatione magnus » Præceptor, seu Commendatarius existit, Nobis nuper exposuit, præfatæ » quidem Gregorii XV, ac Urbani VIII, » Clementis IX, Clementis X, et Innocentii XI prædecessorum literæ in » viridi sint observantia, quia tamen firmiora sunt ea, quæ frequentiori Sedis apostolicæ præsidio roborantur, » idem Magnus Magister, et fratres mi-

„ lites literas hujusmodi apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos „ ipsorum Magni Magistri, et fratrum „ militum votis, quantum cum Domino „ possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, et gratiis „ prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, „ sententiis, et pœnis a jure, vel ab „ homine quavis occasione, vel causa „ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium „ dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatas Grægorii XV, „ ac Urbani VIII, Clementis IX, Clementis X, et Innocentii XI prædecessorum literas, omniaque, et singula „ in eis contenta, tenore præsentium „ perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjcimus, decernentes præsentes literas „ nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis „ vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod „ locorum ordinarii ad hoc vocati non „ fuerint, notari, impugnari, vel invalidare ullatenus posse, minusque sub „ quibusvis similium, vel dissimilium „ gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ „ emanabunt, toties in pristinum statum restituas, repositas, et plenarie „ redintegratas esse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque „ judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum „ Palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales judicari, et „ definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam „ quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, quo circa „ venerabilibus fratribus Moguntino, et „ Salisburgensi, Archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiæ, cameræ „ apostolicæ generali auditori per præsentes committimus, et mandamus, „ quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios „ presentes literas, et in eis contenta „ quæcumque, ubi, et quando opus „ fuerit, et quoties pro parte eorumdem magistri, et militum, ac fratrum dicti Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, ejusque in præmissis efficaci defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra eos „ præsentium literarum commodo, et „ effectu pacifice frui, et gaudere non „ permittentes eos per ordinarios præfatos, aut quoscumque alios contra „ præsentium tenorem quomodolibet „ molestari, perturbari, aud inquietari, „ contradictores quoslibet, et rebelles „ per sententias, censuras, et pœnas „ ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus censuras, et pœnas hujusmodi „ incurrisse declarando, illasque etiam „ iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, „ auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ „ dicti Gregorius, ac Urbanus, Clemens IX, Clemens X, et Innocentius XI. prædecessores in suis literis „ præfatis respective voluerunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sancta Sede „ indultum, quod interdici, suspendi, „ vel excommunicari non possint per „ literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad „ verbum de indulto hujusmodi mentionem.

„ Eorumdem autem prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes „ volumus, quod Pii V. xxII Septembris anno sexto, et Gregori XIII sub „ annulo piscatoris xxv Novembris anno „ nono, nec non Gregorii XV. prædecessorum prædictorum sub datum „ nonis Februarii anno secundo pontificatuum suorum expeditis literis in „ suo robore, et efficacia permanentibus *præsentes* literæ non comprehendant, *neque ecclesias*, neque *personas* in his, quæ ad curam *animarum pertinent*, in quibus *decreta Concilii Tridentini*, ac *in prædicta Gregorii XV.* constitutione *contenta* omnino *servari debeant*, ac quod præsentium literarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et „ sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis in judicio, et „ etiam extra illud ubique locorum plena, et indubitata, eademque prorsus „ fides adhibeatur, quæ ipsis præsen-

» tibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta Julii millesimo septingentesimo vigesimo primo, pontificatus nostri anno primo.

F. Cardinalis Olivierius

Sequitur tenor alterius brevis Innocenti XIII.

Subinde vero aliæ in simili quoque forma brevis ab eodem Innocentio prædecessore emanarunt literæ, quarum tenor est, qui sequitur, nempe.

Innocentius Papa XIII.

» Ad futuram rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus.

» Divina dispositione præsidentes, inter cæteras apostolicæ servitutis curas in eam peculiari studio invigilamus, ut ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris in favorem militarium ordinum ad sanctæ fidei catholicæ defensionem, et propagationem pie, salubriterque institutorum provide emanasse noscuntur, quo solidius perennent apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, aliasque disponimus, prout conspicimus in Domino rationi esse consentaneum: dudum siquidem a s. memoriæ Papa Pio V. prædecessore nostro emanarunt literæ in simili forma brevis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Pius Papa V.

Inseritur tenor alterius brevis Pii V. quod ab Innocentio XIII. confirmatur.

» Ad futuram rei memoriam. Promeretur fides, et devotio dilectorum filiorum Magistri, et fratrum militum militiæ beatæ Mariæ Theutonicorum, ut eos specialibus favoribus, et gratiis, quantum cum Domino possumus libenter prosequamur: hinc est, quod precibus Magistri, et militum militiæ hujusmodi Nobis per dilectum filium nobilem virum comitem Prosperum ab Arcu ejusdem militiæ Commendatorem; et serenissimi Maximiliani electi Imperatoris apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem humiliter porrectis inclinati, Magistro, et militibus Theutonicis prædictis, ut ipsi post hoc eadem privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, quas, et quæ dilecti filii magister, et fratres milites militiæ ordinis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani in quibuscumque impositionibus decimarum, subsidiorum, seu aliorum quorumcumque onerum per Nos, et Sedem apostolicam quomodolibet ex quibusvis etiam urgentissimis causis pro tempore impositorum quoquomodo habent, et eis utuntur, potiuntur, fruuntur, et gaudent, seu habere, uti, frui, et gaudere possint, et debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus pariter, et indulgemus: mandantes quibusvis impositionum hujusmodi exactoribus, et collectoribus, ne eosdem Magistrum, et milites Theutonicos super solutione decimarum, subsidiorum, et aliorum quorumcumque onerum prædictorum contra tenorem præsentium molestare, aut perturbare audeant, vel præsumant, sed nostras hasce literas eis inviolabiliter observent et ab omnibus firmiter observari curent, et faciant: Nos enim irritum decernimus, et inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis personis quomodolibet in contrarium forsan concessis, et confirmatis, seu in posterum concedendis, et confirmandis, quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimatertia Martii millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio.

Prosequitur secundum Innocentii XIII.

» Cum autem sicut dilectus filius noster Damianus Hugo S. R. E. presbyter Cardinalis de Schonborn nuncupatus frater miles, et Magnus Præceptor, seu Commendatarius hospitalis primodictæ militiæ Nobis nuper exposuit, ipse præinsertas Pii prædecessoris literas, quo serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri, ac alias opportune, ut infra a Nobis indulgeri summopere desideret, Nos ipsius

» Damiani Hugonis Cardinalis, et Ma-
» gni Præceptoris, seu Commendatarii
» votis hac in re favorabiliter annuere
» volentes, ejus supplicationibus Nobis
» super hoc humiliter porrectis incli-
» nati de congregationis nonnullorum
» ex venerabilibus fratribus nostris S.
» R. E. Cardinalibus, et Romanæ curiæ
» prælatorum a Nobis specialiter depu-
» tatæ consilio, præinsertas Pii præde-
» cessoris literas cum omnibus, et sin-
» gulis in eis contentis, auctoritate apo-
» stolica, tenore præsentium confirma-
» mus, et approbamus, ac innovamus,
» illisque inviolabilis apostolicæ firmi-
» tatis robur adiicimus, hac temen ad-
» jecta declaratione ut, sicuti in im-
» positionibus, si non sunt expresse no-
» minati fratres milites dicti hospitalis
» sancti Joannis Hierosolymitani, non
» censentur comprehensi, ita etiam fra-
» tres milites Theutonici nunquam cen-
» seantur comprhensi, nisi sint spe-
» cialiter nominati: decernentes easdem
» præsentes, et præinsertas literas fir-
» mas, validas, et efficaces existere,
» et fore, suosque plenarios et integros
» effectus sortiri, et obtinere, ac illis,
» ad quos spectat, et pro tempore spe-
» ctabit in omnibus, et per omnia ple-
» nissime suffragari; sicque in præmis-
» sis per quoscumque judices ordina-
» rios, et delegatos etiam causarum pa-
» latii apostoliei auditores judicari, et
» definiri debere, ac irritum, et ina-
» ne, si secus super his a quoquam qua-
» vis auctoritate scienter, vel ignoran-
» ter contigerit attentari. Non obstan-
» tibus præmissis, nec non omnibus,
» et singulis illis, quæ in literis præ-
» insertis concessa sunt, non obstare,
» cæterisque contrariis quibuscumque.
» Volumus autem ut præsentium lite-
» rarum transumptis, etiam impressis,
» manu alicujus notarii publici subscri-
» ptis, et sigillo personæ in ecclesia-
» stica dignitate constitutæ munitis, ea-
» dem prorsus fides tam in judicio,
» quam extra illud ubique locorum ad-
» hibeatur, quæ præsentibus ipsis ad-
» hiberetur, si forent exhibitæ, vel
» ostensæ. Datum Romæ apud sanctam
» Mariam Majorem sub annulo pisca-
» toris, die decima Novembris mille-
» simo septingentesimo vigesimo pri-
» mo, pontificatus nostri anno primo.

F. Cardinalis Oliverius

*Preces porrectæ pro hucusque relatorum brevium*

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius nobilis vir Karolus Alexander ex Lotharingiæ, et Barri ducibus, ac Magnus Magister ejusdem hospitalis beatæ Mariæ Theutonicorum Nobis nuper exponi fecit, majorem obtineant firmitatem ea, quæ sæpius apostolico præsidio sint roborata, quo circa præinsertas dicti Innocentii prædecessoris literas per Nos approbari, et confirmari plurimum desideret. Nos ipsius exponentis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas memorati Innocentii prædecessoris literas, cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

*confirmatione, quibus Pontifex benigno annuit.*

*Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 3. Decernentes præsentes, ac præinsertas literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, et singulis, quæ in præinsertis literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima octava Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 29. Aprilis 1768. Ann. X.

## DCLXV.

Beatificatio Servi Dei fratris Bernardi a Corleone Siculi, laici professi ordinis minorum s. Francisci capuccinorum.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Decet, servos Dei, eorumque merita, in quibus triumphavit virtus Altissimi, condigna laudatione celebrari, ut fidelibus ulteriora suppetant ad imitationem exempla, et qui bono certamine certato, cursu consumato, hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem in cœlis consequi meruerunt, de nostra solliciti salute a bonorum omnium largitore Deo pia, potentique intercessione Nobis impetrent præsidia, quibus et Nos legitime certare, et æternæ beatitudinis bravium accipere valeamus; ita Nos, quibus divina dignatione, nullis nostris suffragantibus meritis, ovilis dominici cura mandata est, honorificum non modo, sed nihil opportunius in hac temporum conditione esse intelligimus, quam ut Dei benignitatem, et ejus sanctitatis memoriam in virtutibus servorum suorum prædicantes, eorum cultum promovere satagamus, qui postquam sub severioribus disciplinæ instituto hic in terris pro cœlestis sponsi honore tantum laboris impenderant ab ergastulo carnis soluti de ejus manu coronam gloriæ, in cœlis acceperunt, quod signis etiam et miraculis Deus ipse illustrare dignatus est.

Ex unanimi voto Cardinalium congregationis sacris Ritibus præpositorum, Servus Dei in beatorum albo adscribitur, et quoad officium, et solemnia peculiariter disponitur.

§. 2. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum processibus de hujus sanctæ Sedis apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Bernardum a Corleone, laicum professum ordinis fratrum minorum sancti Francisci capuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, et super miraculis, quæ ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, patrata fuisse, dicebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuit, posse quandocumque Nobis videretur, prædictum Dei Servum, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice beatum declarari cum solitis indultis; hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitum, universitatum, ac totius memorati ordinis fratrum minorum sancti Francisci capuccinorum, et nominatim Nicolai a Laculibero ejusdem ordinis sacerdotis professi hujus causæ, prout aliarum omnium causarum servorum Dei dicti ordinis, postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore præsentium facultatem concedimus, atque impartimur; ut idem Dei Servus Bernardus a Corleone Beati nomine noncupari, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium, non tamen in processibus circumferendas, exponi, imagines quoque radiis, et splendoribus exornari, officiumque, et missam de eo in singulis annis die XIV. Januarii, utpote illam felicis ejus transitus immediate sequenti non impedita, tamquam de communi confessorum non pontificum juxta ritum missalis, et breviarii Romani recitari libere, et licite possit, ac valeat. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine minorum sancti Francisci capuccinorum utriusque sexus; Panormi, ubi venerabile ejus corpus requiescit, et unde ad suprema gaudia evolavit, ac in civitate Corleonis, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas teneantur, et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus; præterea hoc anno dumtaxat, videlicet, post præsentes literas emanatas, et quoad Indias a die, qua æedem literæ illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis ordinis, et præfatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem Servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XV. sequentis mensis Maii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cœterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam im-

pressis manu secretarii præfatæ congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris. Die XXIX. Aprilis MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 7. Maii 1768 Anno X.

## DCLXVI.

Moniales monasterii s. Mariæ providentiæ succurentis, terræ Pharæ dispensantur a quotidiano usu ciborum quadragesimalium, et eis tibilium gestandarum facultas tribuitur.

Dilecto filio Nostro Dominico S. R. E. diacono Cardinali Ursini nuncupato.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili noster, salutem, et apostolicam benedictionem.

Referuntur gravia valetudinis incomoda harum monialium, et causa eorumdem indigitatur.

§. 1. Nuper Nobis exposuisti, quod dilecte in Christo filiæ moniales monasterii sanctæ Mariæ Providentiæ succurrentis nuncupat. instituti quondam Franciscæ a Jesu Farnesiæ pariter nuncupat. Terræ Pharæ nullius diæcesis provinciæ Romanæ, quarum tu apud Nos, et Sedem apostolicam protector existis, gravia quoad earum valetudinem incomoda semper, ac præsertim novissimis temporibus expertæ, ac passæ sunt propter scyrros in sthomaco, et aneurismata, seu venas dilatatas, vel ob internas perturbationes, quæ ipsis cibum retinere minime sinunt, vel demum propter apoplexias, quocirca ad eum statum ipsæ devenerint, et modo reperiantur, ut maximo cum earum mærore regularem observantiam in actibus communibus, quibus, obstrictæ sunt, exequi, et adimplere nequaquam valeant. Serio itaque re perpensa, requisitaque insuper sententia in arte medica peritorum, ut origo, seu causa tot malorum hujusmodi deprhehendi, ac dignosci posset, iidem periti, ac præ cæteris ejusdem monasterii medicus censuerunt, ac putant, id totum tribuendum esse, vel deficientiæ tibialium, quæ a dictis monialibus sub rigidissimo cæteroquin Cœlo viventibus non deferantur, quamvis ad hoc a Capitulo IV. §. VIII. earum constitutionum tantummodo hortentur, vel quotidiano usu ciborum quadragesimalium, ovorum, ac lacticinorum a Capitulo XVI. §. 1. prædictarum constitutionum injuncto, quantoquidem ex monialibus hujusmodi eæ, quæ Marthe, nuncupantur, etsi sub eodem cælo vitam ducant, ac majores labores substineant, nihilominus quia tibialia deferunt, et carnem comedunt prædicta incomoda mala ac infirmitates subire minime solent, sed bona, ac firma valetudine fruuntur, et quamvis ab antiquo quidem tempore inter alias quoque moniales, Magdalenas nuncupatas, consuetudo irrepserit etiam in casu, quo ipsæ infirmitatibus minime detineantur, nec audito earum medico, bibendi, et comedendi jus, cum quo jusculà conficiunt, ac hujusmodi consuetudinis initium tribuitur apostolicæ derogationi, et facultati, super qua tamen nullum monumentum reperitur, nec ejusdem initii memoria superest, nihilominus id totum haud sufficiens modo dignoscitur, quippe quia adhuc præmissa incomoda, et mala, ac infirmitates prædictæ moniales patiuntur.

Preces porrectæ pro dispensatione quoad usum ciborum, et usum tibialium, quibus Pontifex benigno annuit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut in posterum moniales prædictæ actus communes regularis observantiæ explere possint nostra, et hujus sanctæ Sedis dispensatione super esu ciborum hujusmodi, et quatenus etiam opus sit, pro delatione tibialium, omnino indigeant. Nos ipsorum monialium incolumitati prospicere cupientes, ut ipsæ corpore firmæ mente, ac spiritu libentius, ac ferventius Deo valeant inservire, easdemque moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsarumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus super hoc humiliter earum nomine Nobis porrectis inclinati circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut attentis narratis, cum eisdem monialibus super esu ciborum quadragesimalium, ovorum, ac lacticinorum, diebus tamen minime prohibitis, ac etiam quatenus opus sit super non usu, ac delatione tibialium, ita ut, præmissis non obstantibus, ipsæ carnes salubres, ut præferunt, comedere, ac tibialia deferri libere, et licite possint, et valeant, auctoritate nostra

apostolica, tenore præsentium pro tuo arbitrio, et prudentia dispenses, prædictis capitulis constitutionum dicti monasterii pari auctoritate derogando.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, et confirmatione apostolica roboratis statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die septima Maii millesimo, septingentesimo, sexagesimo, octavo, Pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 13. Maii 1768. Anno X.

## DCLXVII.

Confirmatio statutorum, eorumdemque reformationum pro spirituali, et temporali regimine monialium s. Spiritus Oppidi Pontis Reginæ Pampilonensis diæcesis.

### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur recens statutorum, ordinarii approbatio, et recentissime in minimis eorumdem reformatio.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Priorissa, et moniales ordinis canonicorum regularium sancti Spiritus nuncupatæ sub regula sancti Augustini Oppidi Pontis Reginæ Pampilonensis diæcesis, quod alias die nempe X. Septembris MDCCLXII. lectæ, et in dictarum exponentium monasterio publicatæ fuerunt novæ constitutiones pro regimine spirituali, ac temporali ejusdem monasterii conditæ, et in triginta quatuor capitula distributæ quas postmodum bo. me. Gaspar dum vixit Episcopus Pampilonensis approbavit, atque insuper omnibus, et singulis monialibus dicti monasterii toties, quoties illas, aut aliquam illarum partem legissent, indulgentiam quadraginta dierum concessit; novissime vero, die videlicet XIV. Martii currentis anni dictæ exponentes pauca nonnulla in hujusmodi constitutionibus disposita, quæ pro meliori ejusdem monasterii regimine correctione digna esse putarunt, minutissima quædam in illis delendo, aut addendo, correxerunt, et alias prout in præfatis constitutionibus, quarum tenorem præsentibus pro inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

Preces porrectæ pro dictorum statutorum approbatione apostolica, quam Pontifex indulget.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius memoratæ constitutiones sic correctæ subsistant, et serventur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri dictæ exponentes plurimum desiderent. Nos ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati easdem constitutiones sic, ut præfertur, correctas, omniaque in eis contenta, justa tamen, et rationabilia, et quatenus regulari observantiæ, sacris canonibus, aliisque apostolicis constitutionibus, et Concilii Tridentini decretis minime adversentur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XIII. Maii MDCCLXVIII, Pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 21. Maii 1768. Ann. X.

## DCLXVIII.

Instrumentum, et conventiones, quibus confraternitas SSmi Sacramenti Civitatis Fabriani concedit hospitale infirmorum ejusdem Civitatis fratribus ordinis S. Joannis de Deo confirmentur, et approbantur.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Archiconfraternitas Fabrianensis duxit pro meliori pauperum bono, hospitale qui pollebat directioni, et gubernio submittere ordinis S. Joannis de Deo, nonullis portionibus adjectis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni rector, et deputati archiconfraternitatis Sanctissimi Corporis Christi, et Beatæ Mariæ Virginis Civitatis Fabrianen. quod pro pauperibus infirmis curandis eadem archiconfraternitas unum habet hospitalem in civitate prædicta; ad hoc vero ut miseris ægrotis auxilium, majori, qua fieri posset charitate præberetur a viris, qui apti essent ad temporalem non solum, sed spiritualem quoque eorum salutem promovendam, prædicti exponentes petiernnt a dilecto filio moderno Generali fratrum ordinis Sancti Joannis Dei, ut ipse duos, aut tres fratres ejusdem ordinis illuc mitteret, qui operam, auxiliumque in curandis infirmis hujusmodi præberent; dictus autem prior generalis cum petitionem hanc, eo quo par erat zelo, et charitate excepisset, statim usque de mense Aprilis MDCCLXVI fratres sui ordinis, ut præfertur, volitos, ad eamdem civitatem libenti animo misit; cumque experientia compertum fuisset quanta in curandis, adjuvandisque infirmis esset fratrum memorati ordinis peritia, diligentia, ac probitas, universa civitas prædicta eorum operam, et exemplum laudibus probare non destitit: qua de re dicti exponentes unanimiter in congregatione desuper habita decreverant, ut ipsis instantibus, dictus prior Generalis hospitalis hujusmodi conservationem in se, suumque ordinem assumere vellet, obtentoque ordinarii loci consensu die VIII Februarii currentis anni, confectum desuper fuit publicum instrumentum per acta Joannis Francisci Frattini notarii Fabrianen. cum sequentibus pactis, et conditionibus, videlicet.

Tenor pactionum conventarum.

» L'archiconfraternita del SSmo Sagramento di Fabriano cede, e concede in perpetuo all'ordine de'spedalieri di S.Giovanni di Dio, l'ospedale degl'infermi con tutti i capitali, stabili, e mobili, semoventi, azioni, » e ragioni, censi, e crediti tali, quali » sono ad esso ospedale appartenenti, » ed eziandio lo cede con tutti gli ono- » ri, privilegj, e diritti, e con tutti gli » obblighi, pesi, e legati da soddisfarsi » dalla medesima, e coll'infrascritti pat- » ti, e condizioni.

» 1. Che sia a carico di essa reli- » gione di ottenere, qualora ve ne sia » di bisogno tutte le licenze per la fon- » dazione della medesima religione, » e specialmente il beneplacito aposto- » lico.

» 2. Che la religione sia obbli- » gata di tener sempre alzati in vantag- » gio degl'infermi numero quattordici » letti, cioè dieci per gli uomini, e » quattro separatamente per le donne, » ed in caso d'influenza, rimettendo » al loro zelo, e pietà l'accrescerne » altro numero, con somministrare » eziandio agl'infermi tutto il bisogne- » vole sì di vitto, che di medicinali, » ed altro.

» 3. Che aumentandosi l'entra- » ta per nuovi acquisti, che si facesse- » ro dalla religione medesima sia que- » sta tenuta ad accrescere un letto qua- » lora però il frutto ascenda a scudi nu- » mero cinquanta da proseguirsi per » ogni avvanzamento, che si facesse.

» 4. Che debba in seguito in ser- » vizio degl'infermi, e dell'ospedale » tener tutto l'anno quel numero di » religiosi, che crederà il P. Rmo Ge- » nerale, mà che questi non debbano » essere meno di tre.

» 5. Che debba ricevere tutti gl' » infermi di questa città, e territorio, » purchè non siano rognosi, e mali » cronici, come altresì debba ricevere » li forestieri, che venissero ammala- » ti, o si ammalassero per incidenza.

» 6. Che trasportandosi l'ospe- » dale in altro sito debba restituire le » stanze, ove presentemente è la ruota » degli esposti, come ancora, che nel » caso dovesse vendere il presente ospe- » dale, non possa per un giusto prez- » zo, e valore, da stimarsi da periti, » questo togliersi all'archiconfraternita » del SSmo Sagramento, o all'ospeda- » le degli esposti in caso, che questi » volessero farne l'acquisto.

» 7. Affine, che resti sempre la » grata memoria della fondazione dell' » ospedale fatta da Santo Jacobo della » Marca, e della cessione fatta dall'ar- » chiconfraternita, sia obbligata la reli- » gione a sue spese entro il tempo, e » termine di mesi numero sei dal gior- » no della stipolazione dell'istromento

» della mentovata cessione di far collo-
» care sopra la porta, o appresso alla
» medesima in luogo esteriore, e pu-
» blico tanto del presente ospedale, quan-
» to in qualunque altro sito, ove tra-
» sportar si dovesse il detto ospedale,
» l' acclusa memoria in perpetuo, cioè
» *D. O. M. Nobili Archiconfraternitati*
» *SSmi Sacramenti, ac Bmæ Virginis*
» *Mariæ Ecclesiæ Cathedralis Fabria-*
» *nensis Quod Nosocomium, Divo Ja-*
» *cobo Piceno Ordinis Minorum curan-*
» *te, anno* 1456 *erectum ordini hospi-*
» *talitatis Sancti Joannis De Deo cum*
» *omnibus juribus, et redditibus con-*
» *cessit, idem ordo in grati animi mo-*
» *numentum poni curavit anno salu-*
» *tis* 1767.

» 8. Che sopprimendosi la reli-
» gione, che Iddio non voglia, debba
» questa restituire all' archiconfraternita
» del SSmo Sagramento non solamen-
» te i capitali, che gli si cedono, mà
» eziandio tutto l' altro, che avesse ac-
» quistato per impiegarlo in detta ope-
» ra pia.

Preces porrectæ pro hospitalis cessionis, et conventionum approbatione pontificia.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius instrumentum prædictum una cum præmissis pactis, et conventionibus subsistant, ac serventur exactius, nec non fundatio hujusmodi, ac bonorum mobilium, stabilium, semoventium, jurium, et actionum, ac creditorum olim ad hospitale prædictum pertinentium cessio a dicta archiconfraternitate, ut præfertur, facta, eorumque applicatio fratribus ordinis prædicti pro hospitalis hujusmodi conservatione, et substentatione sicuti præmittitur, expleta in suo robore perpetuo maneant, ea per Nos approbari, et confirmari dicti exponentes plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex cessionem confirmat, et conventiones approbat.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, instrumentum prædictum cum præinsertis pactis, et conditionibus, ac fundationem hujusmodi, simulque cessionem, et applicationem prædictorum bonorum, ac jurium, sicuti præfertur, factam auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definirl debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, hospitalis, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica et quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima Maii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 21. Maii 1767. Anno X.

## DCLXIX.

Communicatio privilegiorum spiritualium congregationis Cassinensis ordinis s. Benedicti pro Abbate, et monachis monasterii Ettalensis ejusdem ordinis Congregationis Bavaricæ.

### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. In suprema Sedis apostolicæ specula, meritis licet imparibus, ab æterno Pastore collocati ad uberes bonorum operum fructus, quos monasticæ congregationes adspirante superni favoris auxilio in Ecclesia Dei proferre assidue satagunt paternæ dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum putamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus, amplioribus in dies gratiarum, et privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Preces porrectæ pro communicatione huic monasterio gratiarum spiritualium, quibus fruitur, congregatio Cassinensis, et pontificium indultum precibus conforme.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Abbas, et monachi monasterii Ettalensis ordinis sancti Benedicti congregationis Bavaricæ in superiori Bavaria, quod ipsi communicationem omnium singulorumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum, quibus congregatio Cassinensis ejusdem ordinis fruitur, sibi, dictoque monasterio, monachis, et personis per Nos elargiri plurimum desiderant. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos, fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis, humiliter porrectis inclinati, eisdem Abbati, monasterio, monachis, et personis nunc, et pro tempore existentibus enunciatam communicationem privilegiorum quoad gratias spirituales tantum auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, ac validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstante nostra de non concedendis indultis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dicti monasteri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Maii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 1. Junii 1768. Anno X.

## DCLXX.

Catholicis in Federato Belgio commorantibus significat nullitatem prætensæ electionis, et consecrationis pseudo Episcopi Ultrajectini, unita anathemate punit, et fideles commonet, ut ab omni consuetudine cum anathematizatis abhoreant.

*Jam alias hac continuatione relatæ sunt quamplures epistolæ, et Pontificiæ constitutiones, quibus Ultrajectinum schisma damnatur, quæ consulendæ ad opportunitatem sunt, et præsertim hoc Tom. III. sub num. CDLXV. pag. 67 et adnotatio ibi apposita.*

### Clemens PP. XIII

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

Causam hujus epistolæ designat.

§. 1. Etsi satis exploratum habemus atque perspectum, quanta vobis cautio sit, ne ab hominibus pravam doctrinam imbutis, et decretis apostolicæ Sedis parere detrectantibus vestræ fidei integritas corrumpatur, tamen pro ea, qua adsidue tangimur, æternæ salutis vestræ solicitudine et cura, per has Nostras literas vos admonendos existimavimus, ut eo magis ab Ultrajectini schismatis fautoribus eorumque consuetudine refugiatis, quo pertinacior eorum inobedientia, et alendi sustentandique illius scandali obfirmatior apparet in dies voluntas, et obstinatior. Modo autem quid designarunt? Cum enim Joannes Petrus Meindarts pseudo Archiepiscopus Ultrajectensis a fel. recordat. prædecessore Nostro Benedicto

decimoquarto excommunicationis mucrone confixus, et tamquam filius perditionis ab Ecclesiæ sinu dejectus atque exturbatus in sua damnabili inobedientia mortalitatem expleverit, et in locum abierit suum, pseudo canonici Ultrajectenses, nihil censurarum metu deterriti, alium quemdam nomine Gualtherum Michaelem Nieuvvenhuysen in locum memorati Joannis Petri Meindarts substituerunt, et in Ultrajectinum Archiepiscopum, ut vanissime existimant, elegerunt. Illum subinde nefario et execrando scelere Joannes Van Stiphout pseudo Episcopus Harlemensis ad anathematum plagas, quas jam complures accepit, plane obdurescens, illicite, illegitime, sagrilege, et contra supremæ hujus apostolicæ Sedis mandata, sacrorumque canonum sanctiones die septima proxime elapsi mensis Februarii consecravit.

Pseudo-Episcopi Ultrajectini electionem, et consecrationem proscribit, atque excomunicatione plectitur cunctos qui in illis operam, vel assensum prebuerunt.

§. 2. Nos igitur immane hujusmodi facinus detestati, prædecessorum Nostrorum vestigia sectando, auctoritate apostolica per præsentes literas decernimus, et declaramus, tam electionem ejusdem Gualtheri Michaelis Nieuvvenhuysen in Archiepiscopum Ultrajectinum fuisse irritam ac prorsus nullam, quam ejus consecrationem fuisse omnino illicitam, illegitimam, sacrilegam et execrandam; eumdemque Gualtherium Michaelem et quotquot emeriito canonicorum Ultrajectensium nomine suffragia in illum contulerunt, itidemque eos omnes, qui in ejusdem Gualtheri Michaelis nefaria electione, atque execranda consecratione opem, consilium, consensum, aut operam quomodolibet præstiterunt, notorie incidisse in excommunicationem Nobis, atque huic apostolicæ Sedi reservatam decernimus, et pronunciamus, atque etiam denuo excommunicamus, anathematizamus, et ab Ecclesiæ communione segregatos, et ut prorsus schismaticos habendos esse edicimus et declaramus. Præterea memoratum Gualtherum Michaelem pronunciamus ab omni exercitio tum eorum, quæ sunt ordinis, tum quæ sunt jurisdictionis esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub pœna excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendæ, ne episcopalem, quam numquam adeptus est, exercere jurisdictionem, aliamve ullam, aut pro animarum regimine auctoritatem sibi audeat arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias literas dare, pastores, missionarios, aut quocumque alio nomine appellentur, ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis prætextu constituere aut deputare; talesque deputationes ad prædicta sub quocumque nomine officia pro animarum regimine seu factas seu fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis prorsus irritas esse et fore, nulliusque roboris et momenti pronunciamus, et declaramus.

Singulos monet, ne a pseudo Episcopo hujusmodi vel litteras dimissorias, vel ordines suscipiant sub pæna suspensionis, ortaturque Episcopos ne consuetudinem ullam cum perditis hominibus hujusmodi velint inire.

§. 3. Noverint autem quicumque ab ipso Gualthero Michaele, vel per ipsius literas dimissorias ecclesiasticos susceperint ordines, suspensionis vinculo se esse illigatos, et susceptos ordines si exercuerint, in irregularitatem incidisse. Vos autem dilecti filii cavete ab ejusmodi falsis pastoribus, qui sese in ovile intulerunt, ut furentur, mactent, et perdant. Ab his oportet quam longissime recedatis, ut ne minima quidem vox eorum ad vestras aures appellat. Semper enim maximo sumus in metu, ne mellitis quidem, sed venenatis eorum sermonibus deleniti a recta veritatis semita in devios erroris anfractus seducamini. Vobisque omnibus, quos ob veram pietatem, sinceramque in beatissimi Petri sacratissimam Sedem obedientiam et fidem vestram præcipua complectimur charitate, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 1. Junii MDCCLXVIII pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 25. Junii 1768. Ann. X.

## DCLXXI.

Universale jubileum pro totius Status Ecclesiastici christifidelibus indicitur, cum remissione omnium peccatorum, et facta potestate confessoriis tam sæcularibus, quam regularibus cognoscendi, et absolvendi, in casibus etiam sanctæ Sedi reservatis, commutandi vota, exceptis castitatis, et religionis; unisque exclusis ab generali indulgentia, qui publice, vel occulte inhabilitate qualibet contracta, vel per sententiam censuris irretiti, parere, judicato, et cum partibus concordare recusant.

Clemens Papa XIII.

Universis christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, et apostolicam bedictionem.

Summus Pastor, oves suas congregat ante thronum divinæ gratiæ, ut holocaustum offerant pænitentiæ, et misericordias Domini consequantur.

§. 1. Accedamus cum fiducia ad thronum divinæ gratiæ, ut misericordiam in nostris necessitatibus consequamur; non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas: sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum, effundet in nos divitias misericordiæ suæ, si peccata nostra, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes dignos pœnitentiæ fructus faciamus; et obsecrationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas ad altare omnipotentis Dei jugiter offeramus. Hæc autem, ut fructuosius, majorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium matris, et magistræ more cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, aperire decrevimus.

Modum designat, ut christifideles tam in Urbe, quam extra morantes, indulgentiis frui valeant, et omnium suorum peccatorum remissione lætari.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui S. Joannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum, Sanctæ Mariæ Majoris, et Sanctæ Mariæ Transtyberim ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam intra decursum quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a dominica infra octavam festivitatis eorumdem Sanctorum Petri, et Pauli Apostolorum incipien. saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, et sexta feriis, et sabato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi SSmum Eucharistiæ sacramentum præfata dominica infra octavam festi sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, aut in dominica immediate subsequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam pro prima; pro secunda vero ex prædictis hebdomadis, vel ipsa secunda dominica, aut alio die hebdomadæ hujusmodi, vel in ultima dominica supradictorum quindecim dierum reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris vero in quibuscumque civitatibus, oppidis, terris, et locis Nobis, et Sedi apostolicæ mediate, vel immediate subjectis degentibus, qui ecclesias ab ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, et, ipsis deficientibus, de eorumdem ordinariorum mandato per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio similiter quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a publicatione designationis per ordinarios, aut eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut præmittitur, faciendæ decurren. saltem semel visitaverint, ibique, ut supra oraverint, ac quarta, et sexta feria, ac sabato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac sanctissima communione, ut supra refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut præfertur, erogaverint, plenissimam, sicut in anno jubilæi visitantibus certas ecclesias intra, et extra Urbem prædictam concedi consuevit, omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem per unumquemque christifidelem semel tantum lucrifaciendam misericordialiter in Domino concedimus.

Personis regularibus, et in claustris perpetuo degentibus, vel carcere mancipatis, vel aliqua corporis infirmitate, aut alio impedimento detentis, speciales, magisque accomodatas conditiones imponit.

§. 3. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus etiam in carcere, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, ut confessarius ex jam approbatis ante præsentium publicationem, seu approbandis, regularibus quidem personis in visitatione Ecclesiæ proprii monasterii, seu conventus, aut domus

regularis, aliis vero sive regularibus, sive laicis, qui prædictam visitationem, vel alia ex superius præscriptis præstare nequiverint, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus. Insuper, ut hujusmodi indulgentia, et remissio animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possit, indulgemus.

Confessariis tam sæcularibus, quam regularibus potestatem facit, casus omnes reservatos absolvendi, a censuris quibuscumque pœnitentes liberandi; et quæcumque vota commutandi, religionis, et castitatis exceptis.

§. 4. Cæterum cupientes christifideles prædictos hujus pretiosissimi thesauri fieri participes, quibuscumque presbyteris confessariis tam secularibus, quam regularibus, ad id in ecclesiis tam Urbis nostræ præfatæ, quam aliarum civitatum, oppidorum, terrarum, et locorum hujusmodi per ordinarios locorum respective specialiter deputandis, ut eosdem christifideles ibidem ad se occasione consequendi indulgentiam hujusmodi pro hac vice dumtaxat recurrentes, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus eorum peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, etiam quantumvis gravibus, et enormibus, ac etiam locorum ordinariis, sive Nobis, et Sedi apostolicæ, etiam per literas apostolicas die cœna Domini legi solitas, aut alias quascumque nostras, et Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, et ea vice tantum absolvere, et liberare valeant; et insuper vota quæcumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque confessarii arbitrio injungendis, facultatem impertimur. Non obstantibus prædictis literis, et constitutionibus, aliisque apostolicis ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Excipit irregulares, et inhabiles, vel per sententiam excomunicati, nisi autem debitam præbeant satisfactionem.

§. 5. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, inhabilitate quomodolibet contracta dispensare, vel aliquam tribuere facultatem dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque easdem præsentes literas illis, qui a Nobis, et apostolica Sede, vel ab aliquo prælato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu alias in sententias, vel censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi prius satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Literarum transumptis, legali forma subscriptis, fidem habendam esse, decernit.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et a congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum Præfecto, vel secretario subscriptis, et sigillo ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsius præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxv. Junii MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo.

---

## DCLXXII.

Dat. die 25. Junii 1768. Ann. X.

Congregationi præsbiterorum sæcularium Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis S. Michaelis Mechoacam Diæces. communicantur privilegia, et gratiæ spirituales præsbiteris sæcularibus ejusdem Congregationis B. Mariæ, et Gregorii in Vallicella de Urbe, concessæ a fe: re: Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. aliisque Pontificibus.

### Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Congregationum præsbiterorum sæcularium institutiones laudantur, privilegiis et gratiis decorantur ad majorem Dei gloriam.

§. 1. **M**ilitantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, presbyterorum sæcularium congregationes in Ecclesia Dei pie, sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue preferre satagentes privilegiis, et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Inter præclaras hujusce congregationes, laudatur oratorium s. Philippi Nerii oppidi s. Mi

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri sæculares congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii oppidi Sancti Michaelis Mechoacan diæcesis in Indiis, quod du-

chaelis Diœcesis Mechoacam auctoritate Benedicto XIII instituta.

dum eadem congregatio a fel: rec: Benedicto Papa XIII. prædecessore nostro approbata, et nonnullis gratiis, indultis, et privilegiis decorata fuit, ipsiusque congregationis presbyteri sub eodem instituto Sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii præsbyteri sæculares congregationis oratorii ejusdem Sancti Philippi Nerii in ecclesia Sanctorum Mariæ, et Gregorii in Vallicella de Urbe erectæ servant, hactenus vixerunt, et adhuc vivunt de præsenti.

Subjectam regulis, et institutis oratorii ss. Mariæ, et Gregorii in Vallicella de Urbe, implorasse significat, frui posse, et gaudere privilegiis, et gratiis hujus oratorio concessis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, regulæ, et instituta dictæ congregationis Romanæ subinde a rec: me: Paulo V., Gregorio XV., et Urbano VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter Nostris specialiter approbata, ipsique congregationi Romanæ, ac illius Ecclesiæ presbyteris, et personis ab iisdem, et forsan aliis Romanis Pontifiicibus etiam prædecessoribus Nostris multa privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum prædecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri; ipsi vero exponentes regulas, et instituta hujusmodi receperint, seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis, et gratiis frui, et gaudere posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris, et interdictis, et partecipatio privilegiorum, et gratiarum omnium, sub certis conditionibus, et clausulis, excepta indulgentia perpetua a Benedicto XIII. indulta.

§. 4. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac præfatarum literarum apostolicarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tunc existentis superioris congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe præfata eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, præfatæ congregationi oratorii Sancti Michaelis Mechoacan. diœcesis, illiusque ecclesiæ, ac presbyteris secularibus, et personis nunc, et pro tempore existentibus, dummodo tamen simul convivant, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, gratiis, et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis, et indultis memoratæ congregationis Romanæ, ejusque Ecclesiæ presbyteris, et personis per prædictos Romanos Pontifices prædecessores Nostros quomodolibet concessis etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, et quibus eadem congregatio Romana, ejusque Ecclesia, presbyteri, et personæ ex memoratorum Pontificum prædecessorum Nostrorum concessione de præsenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt (non tamen indulgentia perpetua a memorato Benedicto prædecessore prædictæ ecclesiæ sanctorum Mariæ, et Gregorii in Vallicella sub certis modo, et forma tunc expressis concessa) pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta hujusmodi ipsi congregationi dicti oppidi sancti Michaelis Mechoacan diœcesis, ejusque ecclesiæ, presbyteris, et personis specialiter concessa reperirentur, sine præjudicio tamen gratiarum, indultorum, et privilegiorum eidem congregationi præfati oppidi sancti Michaelis, a supradicto Benedicto prædecessore, sicut præfertur, concessorum; et dummodo ipsius congregationis oppidi sancti Michaelis presbyteri, et personæ nunc, et pro tempore existentes regulas, et instituta pro dicta congregatione Romana, ut præfertur, approbata observent, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, et indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

Præceptum literas perpetuo observandi, et ad tramites earumdem a quocumque judice judicandi.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstan. Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de non con-

cedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ congregationis sancti Michaelis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Revocatio concessionum eidem congregationi factarum a Clemente XII.

§. 7. Cæterum per præsentes alias a fel. rec. Clemente Papa XII. prædecessore Nostro in simili forma brevis die XVII. Novembris MDCCXXXV. expeditas literas eidem congregationi sub nuncupatione tamen congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Mechoacan concessas revocamus, et annullamus, ac revocatas, et annullatas esse volumus, et decernimus. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta Junii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 1. Julii 1768. Anno X.

## DCLXXIII.

Monialibus ordinis de Calatrava villæ Matrit, Toletan. diœcesis conceditur facultas utendi breviario romano, in subrogationem alterius ordinis cisterciensis, ut melius choro inservire valeant, plurimis additis declarationibus, et reservationibus.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Precum porrectarum summa.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ moderna abbatissa, et moniales monasterii villæ Matriten. Toletan. diœcesis ordinis militaris de Calatrava, cujus militiæ carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus administrator perpetuus apostolica auctoritate deputatus existit, quod moniales dicti monasterii ab initio illius fundationis regulam, seu constitutiones monachorum ordinis Cistercien. auctoritate apostolica confirmatas profiteri decreverunt, easque modo quoque dictæ exponentes profitentur, qua de re in recitatione etiam divini officii, et horarum canonicarum breviario, ac missali ejusdem ordinis Cistercien. ipsæ se conformes reddiderunt. Verum, quia temporis successu monialium hujusmodi numerus ita decrevit, ut vix decem ipsæ sint ex choristis, ac omnes ferme mala valetudine affectæ; hinc eisdem exponentibus per grave admodum est dicti monasterii onera substinere, ejusque officia una cum diuturna chori psalmodia obire quippe quia præter cantum, ac recitationem officii juxta longiorem ritum Cisterciensem, quotidie canere etiam ipsæ debent officium parvum beatæ Mariæ virginis, illique diebus ferialibus addunt officium defunctorum, ac demum singulis diebus veneris septem psalmos pœnitentiales juxta ordinis hujusmodi institutum una cum litaniis recitant; conversæ vero, et oblatæ loco matutini quadraginta vicibus orationem dominicalem cum gloria patri recitare, et pro laudibus decies, pro qualibet hora quinquies, et pro vesperis iterum decies eamdem orationem repetere tenentur, et loco completorii symbolum apostolorum, ac iterum quinquies dominicalem orationem una cum salve regina dicere, ac pro officio mariano totidem angelicas salutationes, pro officio vero defunctorum centum vicibus orationem dominicalem recitare debent.

Ratio dispensationis, et commutationis onerum pro diligentiori chori servitio.

§. 2. Ne igitur, ut quandoque evenit, ipsæ ægrotæ officia monasterii hujusmodi obire, et choro interesse cum gravissimo salutis dispendio teneantur, dictæ exponentes breviario, et missali romano uti, ac ab obligatione recitandi tam officium marianum, quam aliud defunctorum, et psalmos pœnitentiales eximi, ac officia propria ordinis Cisterciensis juxta breviarium impressum pro monialibus dicti ordinis recitare posse, nec non consuetudinem juxta quam exponentes prædictæ loco psalterii in feriis quarta, quinta, et sexta majoris hebdomadæ ex institutione earum ordinis recitandi psalmum quinquagesimum tantum dicunt, per Nos approbari, diminutionemque vocalium orationum di-

ctis oblatis, et conversis concedi unanimi voto plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmisis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulgetur gratia, servatis in parte literis sa: me: Pii papæ V., et Clementis papæ XI.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione sub die XXVIII. Martii currentis anni MDCCLXVIII venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii, nunc, et pro tempore existentibus monialibus choristis dicti Monasterii, ut ipse in posterum uti valeant breviario romano, ita tamen, ut sub præcepto teneantur in choro ad recitationem officii Beatæ Mariæ Virginis et defunctorum iis diebus, quibus fit officium de feria, psalmos vero pænitentiales in feria sexta quadragesimæ, et graduales feria quarta ejusdem quadragesimæ in omnibus, et per omnia ad formam ejusdem breviarii romani, et literarum Sa. Me. Pii Papæ V. prædecessoris Nostri incipien „ Quodam Nobis etc. recitare debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et insuper quoad recitationem sanctorum dicti ordinis Cistercien. servandas esse alias literas fel. rec. Clementis Papæ XI itidem prædecessoris Nostri in simili forma brevis die XXV Septembris MDCCX expeditas volumus, et mandamus, ac loco, et vice psalterii in feriis quarta, quinta, et sexta majoris hebdomadæ psalmum quinquagesimum etiam in posterum recitare posse eisdem monialibus concedimus pariter, et elargimur. Conversis autem, et oblatis nunc, et pro tempore in dicto monasterio existentibus at ipsæ quotidie pro nocturnis viginti vicibus dominicalem orationem, ac tot angelicas salutationes, decem vero pro laudibus, et vesperis, ac quinque pro singulis horis dicere, diebus vero festis pro nocturnis tantummodo recitationem ejusdem dominicalis orationis, et angelicæ salutationis replicare teneantur, auctoritate, et tenore præsentis volumus, et mandamus.

Pro plenario gratiæ effectu derogatur constitutionibus, privilegiis, indultis, aliisque concessionibus, et exceptionibus in contrarium facientibus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectas, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judiciari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ordinum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima Julii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

## DCLXXIV

Dat. die 4. Julii 1768, Anno X.

**Cum in capitulo ecclesiæ Cathedralis Cordubensis singulis canononicis præter vacationem a choro per menses tres annuatim, competeret privilegium in qualibet ebdomada vacationem aliam medii unius diei carpendi, titulo tundendæ barbæ, et inde sæpies chori servitium, et Divinum cultum detrimentum sentiret, commutatur privilegium hujusmodi, cum beneficio fruendi vacatione per integros menses quatuor, ad exemplum aliaram simillimarum concessionum, onere Episcopo injuncto consulendi, ne per dictam vacationem ecclesia debito fraudetur servitio.**

Venerabili fratri Episcopo Corduben.

Clemens Papa XIII

Venerabilis frater, salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur quibus privilegiis canonici ecclesiæ cathedralis Corduben. donati essent tam ante, quam post reformationem sacrosancti Concilii Tridentini.

§. 1 Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici istius ecclesiæ cathedralis Corduben., quod ipsi vigore suorum statutorum etiam ante Concilii Tridentini tempora vacatione a choro per spatium quatuor mensium anno quolibet gavisi fuerunt; secuta vero postmodum Concilii hujusmodi publicatione juxta ea, quæ dictum Concilium præscripsit, trium tantummodo mensium vacatione annuatim potiuntur, ac propterea juxta prædicta statuta, et immemorabilem quoque consuetudinem titulo tondendæ barbæ vacationem etiam medii unius diei qualibet hebdomada præfati exponentes obtinere assueverunt, ac obtinent de præsenti: verum quia quisque ex Capitularibus proprio arbitratu medietatem diei sibi benævisi causa, ut præferetur tondendæ barbæ eligere valet, hinc pluries evenit, ut non exiguus Capitularium hujusmodi numerus absens a choro eadem die reperiatur non sine divini cultus decremento.

Expostulatur indultum ad exemplum aliorum capitulorum, per apostolicam concessionem fruentium vacatione quatuor, et etiam quinque mensium quolibet anno.

§. 2 Quocirca quemadmodum alias, ut asseritur nonnullis capitulis, et canonicis ecclesiarum cathedralium in Hispaniarum Regnis existen. ab apostolica hac sancta Sede indultum fuit, ut vacatione quatuor mensium annuatim ipsi gaudere possent, sicuti fel. rec. Julius Papa II prædecessor noster vacationem hujusmodi capitulo, et canonicis ecclesiæ Seguntin., ac rec. me. Julius Papa III itidem prædecessor noster capitulo, et canonicis ecclesiæ Abulen., et prædictæ me. Pius Papa V prædecessor pariter noster capitulo, et canonicis ecclesiæ Caurien. concesserunt, atque insuper capitulo, et canonicis ecclesiæ Pacen. a rec. mem. Paulo Papa III prædecessore quoque nostro vacatio quatuor mensium, et viginti dierum concessa fuit, et fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor pariter noster vacationem duodecim dierum pro quolibet mense capitulo, et canonicis ecclesiæ Hispalen. indulsit, ac rec. me. Clemens Papa VII. prædecessor itidem noster capitulo, et canonicis ecclesiæ Burgen. quinque menses vacationis assignavit; ita quoque dicti exponentes loco vacationis medii diei qualibet hebdomada pro tondenda barba, ut præfertur, usque adhuc obtentæ, quartum vacationis mensem, qui fere ex medietate dierum hujusmodi constituitur, sibi assignari, et attenta præsertim distantia præfatæ ecclesiæ cathedralis positæ juxta flumen, ac mænia civitatis Corduben., in qua ipsi exponentes plerumque dum canonicatus, et præbendas hujusmodi obtinent provectæ ætatis existentes cum gravi eorum salutis incommodo vim frigoris hiberno tempore substinent, ac æstu fervent in æstate; inspectoque rursus magno eorum numero, propter quem ex vacatione quarti mensis prædicti servitio ecclesiæ haud grave præjudicium infertur, quarti mensis hujusmodi vacationem per Nos concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur Episcopo facultas concedendi imploratam commutationem, dummodo sint vera, quæ pro obtinenda gratia fuerant exposita, et cum lege consulendi exacto chori servitio.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita prius super præmissis tam relatione tua, quam etiam deinde die nempe XVI. Aprilis currentis anni MDCCLXVIII. audita quoque relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et man-

damus, ut veris existentibus narratis, sublatis vacationibus dimidiorum dierum pro qualibet hebdomada per annum, quas titulo tondendæ barbæ capitulares sumere hactenus consueverunt, quartum vacationis mensem favore exponentium auctoritate apostolica, tenore præsentium pro tuo arbitrio, et conscientia statuere possis, et valeas; volumus autem quod a te provisum sit, ne occasione prædictarum vacationum ecclesia prædicta debito fraudetur servitio. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur præscripsionibus in Tridentino, aliisque conciliis, et constitutionibus apostolicis statutis, aliisque in contrarium facientibus, quo pro hac vice tantum, et specialiter ad casum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac in concilio Tridentino, aliisque universalibus, synodalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non ecclesiæ, et capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datam Romæ apud Sanctam Martam Majorem sub annulo piscatoris die quarta Julii MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo.

---

*Collectis ad numerum cunctis materiis, quæ ecclesiasticam Pontificis potestatem respiciunt, ad exitum perductum etiam X. annum nolumus, quin ante pauca, quæ temporale dominium spectant, referamus.*

## DCLXXV.

Dat. die 17. Julii 1768. Anno X.

Refertur, et confirmatur chirographum editum super reintegratione ærarii Castri S. Angeli de Urbe cum debitis canthelis peragenda.

*Circa hanc materiam videri possunt ea quæ jam dicta, et relata fuere in Tomo secundo pag. 464.*

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam Rei memoriam

Refert ex gractissima annonæ inopia, pecuniæ quantitatem ab sanctiori ærario Castri S. Angeli extractam fuisse, editumque fuisse motum-proprium pro curanda hujusmodi reportatione pecuniæ.

§. 1. Ex pastoralis officii debito ad curam, et sollicitudinem totius christiani gregis, intenti subjecti tamen Nobis in temporalibus populi utilitatibus, et commodis pro temporum opportunitate quantum in Domino possumus sedulo prospicere non prætermittimus, atque illud propterea curare, ut quæ a Nobis maturo consilio, seduloque examine provide constituta sunt, futuris quoque temporibus firma, et inconcussa permaneant, nec unquam ut fert rerum humanarum conditio, temporumque varietas, vel in oblevionem dilabantur, vel pænitus etiam evertantur. Cum itaque ad avertendam Annonæ inopiam, quæ anno MDCCLXIV. tum etiam superiore proxime elapso MDCCLXVI. huic Urbi nostræ, populisque temporali nostro dominio subjectis extremam perniciem, atque interitum allatura videbatur non sine gravi animi nostri dolore coacti fuerimus de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, et assensu, ac etiam decreto proprio singulorum manu subscripto, et roborato juxta leges, et conditiones in constitutionibus S.M. Sixti V. prædecessoris nostri præscriptas ex sanctiori aerario per eumdem Sixtum prædecessorem nostrum in castro Sancti Angeli condito, et constituto quamdam pecuniæ summam extrahere ad ingentes sumptus in emptione frumenti faciendos. Nunc vero cum ad ejusdem ærarii detrimenta reparanda, pecuniamque inde depromptam reponendam, ac reportandam certas quasdam conditiones, leges, atque ordinationes nostri motus proprii schedula sub die secunda elapsi mensis Augusti manu nostra signata contentas ediderimus, quibus quantum et horum temporum sinit adversitas, et cameræ apo-

stolicæ jam extenuatæ vires, meliori qua possumus ratione aerarii sanctioris reintegrationi, ac reportationi pecuniæ ab eo depromptæ satis consultum fore putavimus, reliquum est, ut ad hujusmodi voluntatis, et ordinationis nostræ perpetuam firmitatem, debitamque executionem asserendam ipsam hujusmodi schedulam novo, ac perenni apostolicæ auctoritatis robore communiamus. Ejus autem schedulæ tenor talis est, videlicet.

Tenor motus-proprii.

§. 2. Clemens Papa XIII. = Motu proprio ec. Dopo un lungo trattato fatto colla gloriosa memoria dell'Imperadore Francesco I. ci era finalmente riuscito di conchiudere a favore della Nostra Camera Apostolica per il prezzo di duecento settantacinque mila zecchini la compra inultilmente tentata nel pontificato del nostro immediato predecessore Benedetto XIV. di tutti i beni, che la M.S. possedeva in qualità di Gran Duca della Toscana nelle nostre legazioni di Urbino, e di Romagna, ed era già stato il contratto di questa compra segnato in Vienna il dì 26 Decembre 1763 dall'arcivescovo di Tebe nunzio apostolico, e dal Barone Adamo Posch muniti ambidue delle loro ample respettive plenipotenze. Ma le non previste fastidiose circostanze delle pubbliche calamità, che sopragiunsero, ci obbligarono a sospenderne per allora l'esecuzione, ed a rivolgere altrove le nostre paterne cure. Le scarse raccolte de'grani, e d'ogni altro genere necessario al vitto umano, sì nelle campagne di Roma, come nelle vicine provincie avevano già fatto sentire sulla fine del suddetto anno 1763 una straordinaria penuria, la quale non ostante tutte le nostre sollecitudini e la previdenza, che avevamo avuto di commettere una non piccola quantità di grano nella nostra provincia di Romagna, che ne aveva superiormente al suo bisogno, proruppe poi ne'principj dell'anno 1764 in una funesta carestia, la quale ci costrinse a doverne fare una più molto copiosa provista negli stati esteri a prezzi esorbitantissimi. Quindi fu, che non essendo per se stessa bastante la cassa dell'annona a fornire una tanto grandiosa spesa fu necessità di ricorrere al nostro erario di castel S. Angelo, da cui, servate le forme prescritte dalle ben note costituzioni del pontefice Sisto Quinto, furono estratti 287 mila scudi d'oro, quali fatti riconiare dal nostro monte di Pietà in zecchini correnti produssero la somma di scudi 514364. 94 d'argento impiegati tutti oltre il molto di più nella compra di un genere così necessario. Intanto però essendoci sommamente a cuore di reintegrare il più presto, che fosse possibile l'erario sanziore della somma indi estratta, ma non avendo allora altri mezzi ci appigliammo al partito d'imporre una tassa mediante l'editto di nostro ordine pubblicato dal reverendissimo nostro Cardinal Camerlengo li 31 Agosto 1764 sopra i luoghi di monte, ed officj vacabili, come pure sopra tutti li stabili, e rendite di altri titoli, e fondi esistenti in Roma, e nell' agro romano simile a quella, che fu pubblicata negli anni 1743 e 1744 dal nostro predecessore per gl'infortunj di quel tempo, contando, che col ritratto di essa si sarebbe potuto riportare nel nostro erario di castel S. Angelo la maggior parte del danaro come sopra estrattone. Nell'istesso tempo peraltro non era minore la nostra premura di dare esecuzione al mentovato contratto di beni gran-ducali di Urbino così esiggendo il necessario dissimpegno della nostra precorsa pontificia parola, ed anche il riflesso di non perdere una occasione così favorevole, che forse non si sarebbe più data di un acquisto di tanta importanza; ma mancandoci ogni mezzo per pagarne il prezzo, nè credendo di essere in circostanze da poter gravare di un nuovo debito lo stato colla creazione d'altri luoghi di monte, giudicammo miglior consiglio di farne fare per allora lo sborso dai nostri banchi del monte di Pietà, e di S. Spirito, e di prevalerci per la loro più pronta reintegrazione del prodotto della suddetta tassa pigliando un più lungo tempo per la reintegrazione dell'erario sanziore, per la quale oltre la sicurezza immancabile, che le fornivano gli stessi beni d'Urbino acquistati in gran parte col getto della detta tassa avevamo già in vista altri ragguardevoli assegnamenti.

Oportuniores providentiæ eliguntur, quæ ad optatam consequendam reintegrationem conferre poterant.

§. 3. Quantunque però attesa una serie deplorabile di sempre nuove disgrazie non siamo presentemente in istato di far capitale di tutti que' fondi, che avevamo allora ideati, tuttavia non vogliamo più lungamente differire a dar principio alla reintegrazione del detto erario di Castel S. Angelo almeno in quella miglior maniera, che per'ora ci è possibile, riservando a Noi, e nostri successori il diritto di prendere provvidenze più larghe per proseguirla con maggior vigore, se il Signore Iddio per sua infinita misericordia si degnerà di mandarci tempi più fe-

lici. A questo effetto dunque siamo venuti nella determinazione di stabilire, e di ordinare con questo moto proprio, stabiliamo, ed ordiniamo, che tutte le entrate de mentovati beni di Urbino tanto fin qui decorse, e depositate in conto a parte nel monte di Pietà, quanto da decorrere in avvenire s' investino prontamente in tanti luoghi di monte, o anche Offici vacabili, da acquistarsi colla legge della loro non vacabilità in credito dell'erario di Castel s. Angelo, ed il frutto di essi si vada sempre investendo, e moltiplicando coll' acquisto d'altri luoghi di monte, o vacabili coll'istessa legge della non vacabilità, fintanto che l'investimento, e moltiplico non giunga a formare un capitale di cento mila scudi, al quale giunto, che sia, si vendino subito tutti i luoghi di monte, o vacabili fino allora comprati, e moltiplicati, ed il ritratto di essi convertito in tanto denaro effettivo, o pure in verghe d' oro, e d' argento si riporti subito in castel s. Angelo a titolo della di lui reintegrazione, e si ricominci tosto da capo l' investimento, ed il moltiplico come sopra degli stessi frutti, e rendite de'beni di Urbino per formare altro simile capitale, di cento mila scudi da riportarsi similmente fatto che sia come del primo capitale si è detto nell' erario sanziore, e così continuare sempre in avvenire il medesimo investimento, e moltiplico di cento in cento mila scudi per volta sino al compimento della totale reintegrazione dell' erario nell' intera somma di scudi 514,364 bajocchi 94 quanti ne furono dal medesimo estratti nei dì 12 Aprile, e 7 Maggio 1764, ed ogni volta, che si riportino in castel s. Angelo le predette somme intervenghino all'atto i Cardinali capi d'ordine, e Camerlengo con tutti i respettivi ministri della camera apostolica, che furono presenti all' estrazione, e se ne faccia l' opportuno rogito. Avendo Noi riputato di dover per'ora presciegliere questo partito piuttosto, che un moltiplico sempre continuato senza vederne interrottamente, e riportarne in Castello alcuna parte, perchè abbiamo creduto di meglio in questa guisa conformarci alla mente, ed alla intenzione di Sisto V., che fù gelosissimo di far ritornare il più presto, che fosse possibile in quell' erario o in parte, o in tutto, come più permettessero le circostanze, il vero reale, effettivo denaro, che ne fosse stato estratto per le occorrenze da lui previste.

In casu venditionis bonorum Urbini, prætium deponendum esse præcipit cum eadem lege multiplici.

§. 4. Ma perchè può succedere, che in questo frattempo si giudichi a proposito di vendere o una parte, o anche il totale dei beni di Urbino, e così si venga a scemare, o a togliere in tutto quell'annuo fruttato, che deve come sopra investirsi, e moltiplicarsi, però ordiniamo, che in questo caso tutto il prezzo, che venisse di mano in mano a ritrarsi dalla vendita di detti beni, si debba esso pure immediatamente depositare nel nostro monte di Pietà ad effetto d'investirlo in tanti luoghi di monte, o vacabili colla medesima legge della non vacabilità, il solo frutto de' quali s' intenda assegnato al moltiplico nella istessa guisa, che si è detto del fruttato de'beni, e colle stesse condizioni, e leggi. Volendo, che la nostra camera apostolica non possa giammai profittare nè de'beni sudetti, nè del loro prezzo da surrogarsi in caso di vendita ai medesimi beni sintanto che non sia perfezionato, e compito il moltiplico da farsi, come si è detto, col frutto di essi.

Pro plena executione pontificiæ legis ad invicem oncrantur Thesaurarius, et ratiociuator R.C.A. ut primus statutam deponat pecuniam, alter quolibet anno exhibitis rationibus evincat, debitis investimentis, et reintegrationibus, consultum oportune fuisse.

§. 5. Per l'effetto poi, ed esecuzione di tutte le sudette cose, vogliamo, che il nostro monsignor tesoriere generale, e computista generale della camera pro tempore restino respettivamente incaricati, come strettamente gli incarichiamo, il primo del pronto puntuale rinvestimento assegnato come sopra al divisato moltiplico, ed il secondo di tenere nella computisteria camerale un chiaro, ed esatto conto a parte, affinchè resti pienamente eseguita la nostra volontà, e che possa in ogni futuro tempo giustificarsi l'adempimento. E siccome questo moltiplico, che deve servire a reintegrare l' erario sanziore di castel S. Angelo, vogliamo, che fin da ora si consideri come una parte essenziale, ed essenzialmente connessa al medesimo erario, la di cui conservazione è anche commessa alla vigilanza, e cura di tutto il sacro Collegio così sogettandolo Noi in tutto, e per tutto alle istesse identifiche leggi, condizioni, e cautele imposte già dalla felice memoria di Sisto V. alla custodia, ed alla sicurezza del denaro da esso riposto in Castel S. Angelo, commandiamo, ed ordiniamo, che il predetto monsignor tesoriere generale pro tempore debba in fine d' ogni anno esibire ai reverendissimi Cardinali capi d'ordine, e Camerlengo di Santa Chiesa il conto giustificato, e giurato dal detto computista generale della nostra camera tanto del deposito,

quanto altresì del rinvestimento, e moltiplico fatto, riportando in ciascun anno le somme investite, e moltiplicate anche negli anni antecedenti, e di questo conto, che i Cardinali capi d' ordine, e Camerlengo avranno ricevuto, vogliamo altresì, che essi ne rendano informato il pieno collegio nel primo concistoro, che si terrà in ciascun anno, e che lo lascino originalmente nelle mani del segretario di esso concistoro, affinchè lo inserisca negli atti concistoriali, riferendo poi anche a Noi ed a nostri successori se tutto sia stato fatto, ed eseguito a seconda delle nostre intenzioni, e degli ordini da Noi stabiliti, essendo tale la mente, e volontà nostra espressa.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 6. Volendo, e decretando, che la presente nostra cedola di moto proprio benchè non sia ammessa, e registrata ne' libri della nostra camera secondo la bolla di Pio IV. nostro predecessore *de registrandis*, vaglia, e debba aver sempre la sua piena esecuzione, ed effetto colla nostra semplice sottoscrizione, nè possa mai opposele di surrezione, orrezione, nè di alcun' altro vizio, e difetto della nostra volontà, ed intenzione ancorchè non vi sia stato chiamato, citato, ne sentito monsignor commissario della nostra camera nè alcun' altro, che vi avesse, o pretendesse avervi interesse, non ostante la regola della nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, la preallegata bolla del detto nostro predecessore Pio IV. *de registrandis*, e l' altra del medesimo pontefice *de rebus Ecclesiæ, et Cameræ non alienandis*, e quali si sieno altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche nostre, e de' nostri predecessori, leggi, statuti riforme, usi, stili, e consuetudini, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, per questa volta solamente, ed all' effetto sudetto pienamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico Quirinale questo di 11. Agosto MDCCLXVI.

Clemens PP. XIII.

Executio præcedentis motus-proprii præcipitur, etiam ex plenitudine potestatis.

§. 7. Ut autem ea, quæ pro celeri sanctioris ærari reintegratione ad publicam utilitatem a Nobis in præinserta schedula provide ordinata, volita, statuta, decreta, et sancita sunt, debitæ executioni demandentur, ac in futurum firmius subsistant, et exactius serventur motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione, et de potestatis plenitudine eamdem præinsertam schedulam, omniaque, et singula in ea contenta, et expressa, et a Nobis per eam, ut præmissimus ordinata, approbata, disposita, volita, mandata, decreta, statuta, et sancita harum tenore confirmamus, et approbamus, eisque perpetuum, et inviolabile hac nostra perpetuo valitura constitutione apostolicæ confirmationis, et approbationis robur, et firmitatem adjicimus, atque iterum, et ex integro ea omnia, et sigula in omnibus, et per omnia juxta præinsertæ schedulæ nostri motus proprii seriem, continentiam, et tenorem, eadem apostolica auctoritate ordinamus, disponimus, volumus, mandamus, statuimus, decernimus, atque sancimus, eademque ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum perpetuo observari, et exactissime impleri jubemus, atque præcipimus.

Adversus ipsum motum-proprium exceptionem obreptionis, et subreptionis, numquam admittendam esse præcipitur, sed juxta illius tenorem procedendum esse statuitur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, atque omnia, et singula tam in his, quam in præinserta schedula nostri motus proprii contenta, atque statuta nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari posse, sed illa semper valida, firma, et efficacia esse, et fore, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, nec non S. R. E. Camerarium, et quoscumque alios Cardinales etiam de latere legatos vice legatos et nuncios, thesaurarium quoque generalem, et clericos præsidentes, aliosque ministros, et officiales cameræ prædictæ, ac alios quavis potestate fungentes nunc, et pro tempore existen., sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, mandati, sanctionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-

tentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, quintodecimo kalendas Augusti, Pontificatus Nostri anno decimo.

---

Dat. die 19. Augusti 1767. Anno XI.

## DCLXVI.

Consulitur necessariæ Custodiæ aggerum fluminis Padi, ad spineticum ostium et in vallibus Comaclensibus cameralibus.

Monsignor Giovanni Angelo Braschi nostro Tesoriere generale.

Quot fuerint incomoda quæ a non recta constructione, et custodia aggerum enumerantur.

§. 1. Tragli altri buoni effetti prodotti dall' accesso che fecero nell' anno scorso i tre periti matematici da Noi spediti a visitare le campagne danneggiate dalle acque nelle nostre provincie di Bologna, Ferrara, e Romagna per l' intento pienamente narrato in altro nostro chirografo diretto a monsig. Ludovisi Boncompagni vicelegato della nostra città di Bologna in data delli 22. Giugno prossimo passato, uno fù quello d' aver essi ocularmente riconosciuto la qualità, e stato infelice degl' argini a sinistra del Po di Primaro per quel tratto tanto geloso, che immediatamente fiancheggia le nostre valli di Comacchio incominciando dai molini di Filo fino alla chiavica d'Umana, stato finora suggetto alla custodia e giurisdizione di chi presiede alla difesa del Polesine di S. Giorgio; avendo trovato essi periti, come risulta dalla loro relazione, gli argini sudetti pel tratto indicato fatti senza larghezza di base, senza scarpa e piede, senza la dovuta inclinazione, senza gli opportuni ripari dalle corrosioni; tali in somma ed in tale stato, onde le dette valli, che pure sono un provento sì riguardevole della nostra camera, stessero sempre in evidente pericolo, che, sfasciati gli argini medesimi per qualche rotta, si scaricasse in esse il Primario e le sue acque torbide colla loro quasi totale rovina: pericolo pur troppo avveratosi nella colposa rotta ivi appunto seguita in quest' anno medesimo alli 3. del passato mese di Febraro, con tanto incomodo, e spavento della nostra città di Comacchio, e colle note conseguenze in esse valli succedute, come pure altra simil rotta accadde in quegli stessi argini dell' anno 1709.

Quæque diligentiæ adhibitæ fuerint a R. C. A. ut incomoda ipsa eliminarentur.

§. 2. Per le quali cose seriamente considerate dalla nostra congregazione delle acque tenuta li 2. del passato Giugno, ne rilevò essa la precisa necessità di dover Noi confidare da quì avanti al ministero della stessa nostra Camera Apostolica, la cura e custodia de' sudetti argini per tutto il tratto adjacente alle dette nostre valli, mercè la vivissima ragione, che, siccome rompendosi quelli nell' accennato sito, il danno e interesse primario vien ad essere della stessa nostra Camera, e del suo appaltatore, così la camera e l' appaltatore avranno sempre per la loro custodia un attenzione incomparabilmente maggiore di quella siano per averne i Ferraresi, che in evento di rotte in que' luoghi, non hanno tanto da temere pel loro Polesine: confermando un tal giudizio l' esperienza medesima in ordine a quella parte di detti argini, che ora sono in custodia della stessa Camera, cioè dal mare fino alla chiavica d' Umana, quali nell'anzidetta visita dei tre matematici furon trovati d' un ottima struttura, ed assai bene mantenuti, cosicchè altrettanto bene, e con pari vigilanza sarà custodito da essa Camera il tratto consecutivo dei sudetti argini, che in mano de' Ferraresi trovansi ora sì mal costrutti e peggio mantenuti: Onde per queste persuadentissime ragioni emanò in essa congregazione tralle altre altre, la risoluzione da Noi poscia coll' indicato chirografo delli 22. Giugno solennemente approvata = *Consulendum Sanctissimo pro consignatione facienda Rev. Cameræ Aggerum respicientium munitione vallium Comaclensium, et ad Eminentissimum Camerarium cum domino Thesaurario juxta mentem*, = la qual mente fu di doversi stabilire i punti precisi di dove incomincia, e dove termina la difesa delle valli di Comacchio, e di dover voi stendere un accurata istruzione sopra il modo di riconoscere e determinare la spesa occorrente per la detta arginatura, da eseguirsi nella maniera, che dal P. Antonio Lecchi della Compagnia di Gesù da Noi deputato in perito e direttore primario di tutte le operazioni, fosse creduta la più opportuna: e quindi, eseguitasi da voi l' incumbenza della detta istruzione inviata al nominato P. Lecchi, ci avete ultimamente riferito esservi stata dal me-

desimo rimessa la relazione della visita fatta col di lui precedente ordine, e direzione in scriptis, alli divisati argini da Ambrogio Baruffaldi, e da Gio: Bartolomeo Ferroni periti della nostra Camera uno in Ferrara, e l' altro in Comacchio, e dalla medesima risultare, che il tratto di tutta la prefata arginatura, ora guardata dalla congregazione de' lavorieri di Ferrara, e da consegnarsi da qui avanti alla cura e custodia come sopra della nostra Camera, resta compresa tralle chiaviche d' Umana, ed il canale de' molini di Filo, ed essere una estensione di pertiche quattromila seicento sessanta, misura di Ferrara, corrispondenti a palmi romani ottantatre mila ottocento ottanta, e che i risarcimenti, che v'abbisognano nello stato presente da sollecitarsi per assicurare le valli sudette dalla minaccia di rotte nelle piene del vicino autunno, ascendono alla scandagliata verisimile spesa di scudi duemila novecento trentasette; i lavori poi prescritti in un foglio dell' istesso P. Lecchi, e che dovranno farsi nell' atto d' eseguire le altre operazioni enumerate nel preindicato nostro Chirografo delli 22 Giugno, ascendono alla verisimile spesa di scudi sedicimila novecento diciotto, e bajocchi cinquantuno.

Præcipitur ut executioni mittantur ea quæ oportuna in casu, et necessaria comperta sunt, derogatis costitutionibus, et ordinibus in contrarium facientibus, certis tamen sub legibus, et conditionibus ad umquem servandis.

§. 3. Ed in seguito de' così premessi accertamenti volendo Noi, che abbia una pronta, e piena effettuazione il prefato espediente suggeritoci della nostra congregazione delle acque, di commettere al ministero della nostra Camera la cura, e soprintendenza del sudetto tratto d' argini, con derogare in questa parte, ed in quanto sia di bisogno, agli ordini, e disposizioni di varj Sommi Pontefici nostri predecessori, mercè le quali una tal cura, e soprintendenza è appartenuta fin' ora all' anzidetta congregazione de' lavorieri di Ferrara subordinata ai Rmi Cardinali colà legati; perciò col presente nostro Chirografo, in cui abbiamo per espressi, e come di parola in parola inserti, i tenori della preindicata risoluzione della nostra congregazione delle acque, il successivo chirografo da Noi segnato li 22 dello scorso Giugno, la prefata visita, e scandaglio di spese fatto dalli detti periti sotto la direzione del nominato P. Lecchi, la somma, e individuazione precisa delle dette spese ivi additata, la cedola di motu proprio segnata dal nostro predecessose Benedetto XIV. li 28 Giugno 1753 approvativa de' regolamenti della congregazione sopra la cassa de' lavorieri di Ferrara registrata per gli atti del Castellani segretario di Camera, con tutti quei brevi, o siano chirografi, e costituzioni de' predecessori, che ivi s' enunciano, ed ogni altra cosa necessaria da esprimersi ec.; di nostro motu-proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema podestà, vogliamo, e decretiamo, che in avvenire tutto quel tratto d'arginatura a sinistra del Pò di Primaro, che si stende tra 'l canale de'molini di Filo sino alla chiavica d'Umana in estensione di pertiche quattro mila seicento sessanta Ferraresi, non debba esser più soggetto, come fin'ora è stato, alla cura, e soprintendenza della congregazione de'lavorieri di Ferrara, dichiarando Noi, che fin da ora si abbia, e sia in fatti dalla di lei superiorità, e direzione totalmente separato, e dismembrato, non ostante, che in questa parte sia stato diversamente disposto, *implicite*, o *explicite* dai nostri predecessori, cioè da Clemente VIII. ne'suoi brevi, o chirografi de' 18. Gennaro 1600., 18. Aprile, e 14 Novembre 1603., da Innocenzo X. ne'suoi de'5., e 6. Febraro 1652., da Alessandro VII. li 7. Novembre 1657., da Alessandro VIII. li 7. Agosto 1690., e da Benedetto XIV. nel suo motu-proprio delli 28. Giugno 1753., alli quali, nelle sole parti però contrarie a questa nostra disposizione, specialmente intendiamo di derogare: e che perciò la detta congregazione de'lavorieri non possa, nè debba più ingerirsi, nè per se, nè per mezzo de'suoi deputati, o ministri, in alcuna ordinazione, o inspezione de' lavori in qualunque modo riferibili ai sopradetti argini, nè in veruna deputazione di officiali, ministri, e operatori, per tutta l' indicata estensione, ma bensì debba tutto questo dipendere, e rimanere privativamente riservato, siccome Noi da questo punto il riserviamo, ed appropriamo a voi, ed a' vostri successori in perpetuo nell'officio del tesorierato, con tutte le facoltà per tal'effetto necessarie, ed opportune, di maniera che vostra, e de'vostri successori pro tempore, come sopra, sia, ed esser debba tutta l'autorità, giurisdizione, e soprintendenza in ordine ai lavori necessarj per la costruzione, riattamento, e conservazione de' sopradescritti argini: colla legge però delle seguenti dichiarazioni, e regolamenti.

§. 4. *Primo* = Che tutto quanto occorrerà di spesa anche minima per i detti lavori di qualunque sorta nella preindicata estensione d' argini, come anco

Enumerantur leges, et conditiones quibus alligata fuit nova ipsorum aggerum con-

structio, et custodia.

per gli attrezzi, utensili, o materiali all'opra loro inservienti, tutto debba farsi, e pagarsi coi danari della cassa, e congregazione sudetta de' lavorieri, dovendo questa rimaner tenuta, ed obbligata, com'era prima, ed è stata fin'ora, in tutto ciò che concerne la detta spesa, intorno al cui obbligo non vogliamo, che per questa nostra disposizione, sia, o s'intenda fatta anche in minimo alcuna novità. *Secondo* = Che all'istesso modo debba rimanere a peso della detta cassa de'lavorieri la spesa occorrente anco per la riparazione di qualunque rotta, che (Dio guardi) fosse mai per succedere nel sudetto tratto d' argini (purchè non succedesse per colpa, e fatto colposo della stessa nostra camera, o dell'appaltatore delle sue valli) sempre inteso, che anche nel detto caso di rotta, possa questa farsi ripigliare dalla nostra camera coll' autoritativa ingerenza de' tesorieri generali pro tempore, come sopra, e indipendentemente dall' opera della prefata congregazione de'lavorieri. *Terzo* = Che a carico similmente della detta cassa de' lavorieri restar debba il pagamento de' convenienti salarj, o stipendj tanto fissi, quanto straordinarj, da darsi al perito, o come dicono, giudice d'argine, e a tutti gli altri ministri, che da voi si crederanno necessarj, (avuto anche riguardo al solito fin'ora pratticato dalla stessa congregazione de' lavorieri) per la buona cura, e custodia della sudetta arginatura confidata da ora innanzi alla nostra camera, l' elezione, e deputazione de' quali ministri tanto per questa prima volta, quanto per sempre in avvenire, dovrà in tutto dipendere da voi, e dai tesorieri generali pro tempore, con facoltà, in caso di loro disubbidienza, o altro notabile mancamento, di sospenderli dalla carica eziandio colla perdita del salario durante una tal sospensione, o anche di rimuoverli affatto, se così richiedesse la gravità della colpa. *Quarto* = Per ovviare ad ogni morosità, e procrastinazione in rapporto agli enunciati pagamenti, ai quali deve soccombere la più volte detta cassa de' lavorieri, dovrà la medesima, in quanto ai salarj fissi, e alle ricognizioni straordinarie de'ministri, che, come sopra, saranno da voi deputati spedirne i mandati per le loro paghe nell' istesso tempo, che spedirà gli altri per i suoi ministri, che diconsi di tabella; in quanto poi alle spese de'lavorieri, vogliamo, che, dopo terminato ne' sudetti argini a voi soggettati un qualche lavoro, o anche fattane solo una parte, ove si tratti di lavori di lunga durata, il giudice d'argine camerale debba subito inviarne al commissario della nostra camera residente in Ferrara una relazione giurata ben distinta, ed esprimente sì le partite, che la qualità, misure, e prezzi del lavoro medesimo; la qual relazione, dopo che sarà passata sotto la rivista, e sindicato del computista della nostra camera in Ferrara, e poscia presentata dal detto nostro commissario alla prefata congregazione per mezzo d' un competente di lei ministro, essa congregazione debba onninamente dentro il termine di venti giorni averne fatto seguire il pagamento: altrimenti sia in libertà della nostra camera, e del di lei commissario di procedere *manu regia*, *et more camerali* per l'effetto sudetto, alle gravatorie, o anco per via di rappresaglia, contro i beni, e robe (salva però la persona) d'uno o due più benestanti a sua scelta tralli dodici soggetti, de' quali è composta la congregazione de'lavorieri, rimosso qualunque ricorso o appellazione in suspensivo = *Quinto* = Tutti gli attrezzi, utensilj, e istrumenti, o anche materiali di qualunque sorta che presentemente sono destinati alla guardia di Filo, in cui è compresa la detta arginatura, passata in cura della nostra camera, e che ivi esistono o in magazzeno presso il giudice d'argine di detta guardia o suo battifango, o sotto qualunque altra custodia; dovrà la detta congregazione farli consegnare con precedente nota e descrizione al nuovo giudice d'argine, che sarà da voi deputato dovendo restare per servigio de'lavorieri, e per tutte le altre occorrenze della sudetta arginatura camerale: e quando mai per l'istesso fine occorresse qualche altra specie di quelli attrezzi e istrumenti, che a disposizione dell'istessa congregazione si ritengono nel pubblico magazzeno detto la munizione; in tal caso per non gravare la cassa de' lavorieri d'una nuova spesa, il giudice d' argine camerale dovrà di que' tali attrezzi o istrumenti farne la dimanda in scritto al deputato del comprensorio, o al presidente di settimana d'essa congregazione, affinchè nelle forme solite glie li facciano subito consegnare; e ciò non facendo, possa il detto giudice provvedersene altrove, a spese della stessa cassa = *Sesto* = Siccome dal fine che abbiamo in prescrivere i presenti regolamenti per la miglior difesa, e custodia della spesso ridetta arginatura, non è disgiunto il provido e discreto riguardo

di non gravar niente più del bisogno la detta cassa de' lavorieri; così diamo a voi tutte le facoltà di poter trattare e stabilirne colla medesima congregazione altre providenze e temperamenti, che a voi paressero più espedienti, purchè non portino sostanzial variazione, ma conducano a facilitare ed unire insieme i due indicati oggetti; approvando Noi, e confermando fin da ora tutto, e quanto verrà da voi sopra di ciò con essa congregazione trattato, e stabilito, non altrimenti, che se fosse qui da Noi espressamente disposto = *Settimo* = Di tutte le liti e controversie sì attive, come passive, che potranno mai occorrere circa l'anzidetta arginatura e ai ministri, che al di lei servigio si troveranno addetti, deputiamo, e costituiamo voi, ed i vostri successori, giudice privativamente ad ogn'altri, con facoltà di suddelegare, e con tutte le altre competenti all'uffizio del tesorierato.

Urgentibus necessitatibus extraordinaria consulitur providentia.

§. 5. Finalmente poi, siccome nell' anzidetta relazione trasmessavi dal P. Lecchi vengono contradistinti, come si è detto, alcuni risarcimenti importanti la spesa di circa scudi 2937. 01., coll' indicazione di doversi questi sollecitare per assicurare li stessi argini da ogni minaccia di rotte nelle piene del prossimo autunno; perciò vi ordiniamo, che in specie a questa parte di lavori facciate por mano (parimente a conto e spese della prefata cassa de lavorieri secondo la regola e metodo già premesso) senza punto di dilazione a forma dell'indicata perizia, con dar quegli ordini e disposizioni, che stimerete necessarj, e anche con facoltà, ove così richieda il bisogno, di prender la terra nella parte opposta del Ravegnano, la qual facoltà dovrete avere non solo per questi lavori, ma anco per tutti gli altri, e sempre in avvenire qualunque volta occorrerà, cumulandovi in questa parte, e per tutti gli altri effetti, e intenti premessi, tutte quelle medesime facoltà da Noi ingiunte nel precitato chirografo delli 22. Giugno a monsig. Ludovisi Boncompagni, niuna eccettuata, e come se fossero qui tutte litteralmente inserte, e ripetute, perchè così è la mente, e volontà nostra precisa.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 6. Volendo, e decretando, che al presente nostro chirografo, ancorchè non esibito, nè registrato in camera, a tenore della bolla di Pio IV nostro predecessore de registrandis, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun' altro vizio o difetto della nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, e definirsi dai reverendissimi Cardinali legati di Ferrara, e Romagna della detta nostra congregazione delle acque, o altra qualunque congregazione, e da qualsivoglia altro giudice, e tribunale anche collegiato, togliendo loro ogni facoltà, ed autorità di giudicare, e definire, ed interpretare diversamente dichiarando Noi preventivamente nullo, ed invalido quanto mai si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti la prefata congregazione de' lavorieri di Ferrara, o altri di qualunque condizione, che vi avessero, o pretenedessero di avervi interesse, non ostante la sudetta bolla de registrandis, la regola della nostra cancelleria de jure quæsito non tollendo, gli accennati brevi, o siano chirografi, o costituzioni de' prelodati Clemente VIII Innocenzo X Alessandro VII, e VIII, e Benedetto XIV, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche nostre, e de nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, esenzioni, e indulti conceduti, o confermati dalla S. Sede anche per via di contratto, e a titolo veramente oneroso, e con clausole quanto si voglia insolite ed effrenate anche derogatorie delle derogatorie, e qualunque altra cosa che facesse, o potesse fare in contrario. Alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra suprema podestà ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, che sopra le premesse potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena esecuzione di quanto si esprime nel presente nostro chirografo amplamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico quirinale questo dì XIX. Agosto MDCCLXVII.

CLEMENS PP. XIII.

Dat. die 8. Martii 1768. Anno X.

DCLXXVII.

Confirmatio constitutionis Pauli tertii aliorumque gestorum super privilegiis pertinentibus ad latifundium nuncupatum monte Gallo, positum in territorio Auximano.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Præces Antonii Mariæ Comitis Galli, quæ causam constitutioni præbuere.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria Comes Gallo Auximan., quod ipse jure, ac titulo primogenituræ institutæ a cl. me. Antonio Maria, dum vixit, S. R. E. Cardinali Gallo nuncupato, possidet unum conspicuum latifundium di monte Gallo vulgo nuncupatum prope civitatem nostram Auximan., quod Comitatus titulo, ac præter alia privilegia, quibus jam potiebatur, et gaudebat, illis quoque publicarum nundinarum, et venationis reservatæ novissimis temporibus a Nobis condecorari, et insigniri obtinuit. Verum quia latifundium hujusmodi antiquitus, et in sui origine processerat a camera nostra apostolica, a qua illud venditum fuit cum nonnullis privilegiis, et præ cæteris cum exemptione ab omni jure, ac dominio territoriali, et servitute juris pascendi, atque damnorum datorum, et cum facultate omnes fructus, et redditus ejusdem latifundii per mare, ac per terram libere extrahendi; hinc fel. rec. Paulus Papa III prædecessor noster per suas sub plumbo anno incarnationis dominicæ MDXXXVII decimo nono kalendas Februarii expeditas literas privilegia hujusmodi favore quond. Joannis Francisci Comitis Bentivolii tunc temporis possessoris memorati latifundii cum ejus dismembratione a territorio Auximano confirmavit, ac deinde cl. me. Jacobus dum vixit, S. R. E. Cardinalis Fransonus nuncupatus, Episcopus Camerinen. tamquam delegatus apostolicus, prævia, ut asseritur, cognitione causæ, die X. Novembris MDCLXVIII. mandatum de observandis eisdem literis memorati Pauli prædecessoris, una cum inhibitione decrevit; tenor autem dicti mandati, et literarum est qui sequitur videlicet; = Jacobus miseratione divina tituli sanctæ Mariæ in Aquiro S. R. E. diaconus Cardinalis Fransonus Episcopus Camerinen. delegatus apostolicus.

Vobis communitati, et hominibus civitatis Auximi, ejusque cancellario, et exactoribus, omnibusque aliis, et singulis in executione præsentem nominatis, et cognominatis, illique, vel illis, ad quem, seu ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu præsentabuntur salutem. Noveritis, nuper coram Nobis comparuisse D. Antonium Mariam Gallum de civitate Auximi, et exposuisse se tamquam modernum possessorem, dominum, et patronum montis Galli, ejusque territorii gaudere, et potiri prædicto vigore literarum apostolicarum s. mem. Pauli III., quarum executio Nobis injungitur, tam ipse, quam etiam ejus coloni, laboratores, et ministri potiuntur, et gaudent privilegiis exemptionibus, et immunitatibus, ut infra sibi concessis. Et cum dictæ literæ apostolicæ fuerint illm̃o domino thesaurario generali præsentatæ, et illarum vigore mandatum de observando concessum Nobis tamquam, delegato apostolico per literas hortatorias ejusdem illm̃i d. thesaurarii demandato exequutio p. in eodem mandato de observando coram Nobis actualis exhibitio cum insertione, earumque literarum apostolicarum, tenoris sequentis videlicet.

Em̃o, et rm̃o domino Cardinali Camerinen. Episcopo ejus vero dilecto domino vicario generali, nec non omnibus, et singulis dominis judicibus ecclesiasticis, et sæcularibus, commissariis ordinariis, et subdelegatis quavis auctoritate fungentibus, et functuris, Barasellis quoque exequutoribus, et subexequutoribus; cæterisque justitiæ ministris, ad quos spectat, et spectabit quomodocumque in futurum, illique, vel illis, ad quem, seu quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu alias quomodolibet obstensæ, vel præsentatæ fuerint. Bonaccursius Bonaccurtius prothonotarius apostolicus ssm̃i domini nostri Papæ, et reverendæ cameræ apostolicæ generalis thesaurarius salutem in Domino, ex nostris hujusmodi, imo literis apostolicis firmiter respective obedire mandatis. Novertis, quod alias a fel. rec. Paulo Papa III. ad favorem bo. me. Joannis Francisci de Bentivoliis Domicelli Rocchæ Carpinis Eugubinæ diæcesis, filii quon. Comitis Hieronymi de Bentivoliis emptoris castri montis Galli Auximanæ diæcesis emanarunt literæ apostolicæ in forma brevis sub datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo septimo decima nona kalendas februarii, pontificatus sui anno quarto de, et super liberatione, et exemptione ab omni onere, aliisque

in dictis literis apostolicis contentis, et expressis hujusmodi sub tenore, videlicet.

Tenor constitutionis Pauli III. super privilegiis Laudii.

§. 2. Paulus Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio nobili viro Joanni Francisco de Bentivoliis Domicello Rocchæ Carpinis Eugubinæ diæcesis salutem, et apostolicam benedictionem. Exigit tua singularis devotionis, et fidelitatis integritas, qua Nos, et Romanam revereris Ecclesiam, ut te, posterosque tuos Apostolicis favoribus, et gratiis prosequamur. Cum itaque sicut Nobis innotuit, alias postquam tempore pontificatus fel. rec. Alexandri Papæ VI. prædecessoris nostri Bucculinus de Guzzonibus civis Auximan., suis exigentibus demeritis Castro montis Galli Auximanæ diæcesis suo loco, in quo illud, quod antea demolitum, seu dirutum existerat, olim fuerat, ac majori parte illius territorii, quæ tunc possidebat, apostolica auctoritate privatus, et Castrum, seu locus Castri, et pars territorii hujusmodi cameræ apostolicæ confiscata, et incorporata fuerant, Castrum, seu locus Castri, et pars territorii hujusmodi per tunc agentes pro dicta camera quon. Benvignato de Armellinis civi Perusino libera, et exempta ab omni onere servitutis, redditus, canonis, sive census, ac pascuoque cum jure pascendi, et pœnis damnorum datorum, ac potestate tam per mare, quam per terram granum, et omnes alios fructus, qui perpetuis futuris temporibus in dicto prædio recolligentur absque alicujus superioris licentia, aut gabellæ solutione, seu aliquo bollettino tam pro rata ipsius emptoris, et subcessorum suorum, quam laboratorum, et colonorum ibique laborantium vendita extiterint, et dictus Benvignatus Castrum, seu locum Castri et partem territorii hujusmodi q. Joannis Baptistæ Perino, et successive idem Joannes Baptista, illaque comiti Hieronymo de Bentivoliis genitori tuo tunc in humanis agenti vendiderit, et hujusmodi venditio, et exemptio per literas in forma brevis piæ mem. Julii II., et Leonis X. romanorum pontificum etiam prædecessorum nostrorum confirmatæ fuerint. Et cum dilecti filii communitas, et homines civitatis Auximanæ prædictam cameram, Castrum, seu locum, ac partem territorii hujusmodi ita exemptum in eorum præjudicium vendere non potuisse, et se jus pascendi, et de damnis datis cognoscendi habere, ac parte territorii hujusmodi, ac alia prædia in agro Auximano existentia pro ejus rata ad omnia onera ipsorum comunitati prætenden., et propterea inter eosd. communitatem, et DD. super præmissis in camera prædicta =, in qua te super prædicta exemptione difinitivam in sui favorem, et contra prædictam cameram sententiam ferri, et ipsam communitatem ecclesiastico interdicto supponi obtinuisti, et successive in nostro rotæ auditorio coram dilecto filio nostro Jacobo Simonitae tituli sancti Ciriaci in thermis presbytero Cardinali tunc Episcopo Pisauren., et locum ex unius auditoribus causarum palatii apostolici de mandato nostri tenenti in secunda instantia litigantium extiterit et litem hujusmodi coram eodem Jacobo Cardinali tunc Episcopo, et locumtenente indecisa pendente, communitas prædicta, et cum interventu dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Ducissæ Urbini ad concordiam transact. devenistis, per quam prædictis liti, et causæ hujusmodi hinc inde cessistis, et dicta communitas te in civem Auximanum recepit, ipsaque communitas, et tu concessisti, quod dicta exemptio quoad interesse cameræ illæsa remanent, quo vero ad interesse ejusdem communitatis duraret in infinitum durante sua linea masculina, non autem transiret ad transversales, seu alios extraneos successores tuos, ita quod si tu, ac successores prædicti partem territorii hujusmodi vendere vellent, dicta immunitas ad emptorem non transiret, reservata tamen jurisdictione dictæ communitati cognoscendi damna data, et pœnas in dicti territorii parte soluta prius sibi, et successoribus prædictis per lineam masculinam emenda damnorum prædictorum, quodque hujusmodi dictæ communitatis in parte territorii hujusmodi, et e converso tu, et successores prædicti in residuo territorii dictæ communitatis respective pascendi jurisdictionem haberetis, et quatenus tu, et successores prædicti dictam partem territorii locaretis conductores illius pro rata fructuum ipsis tangente communitati praedictae respondere tenerentur, nihilominus post hujusmodi concordiam communitas, et homines prædicti consenserunt, quod etiam laboratores dictæ partis territorii, vita tua durante, eadem immunitate prædicta tua potirentur, et gauderent. Nos igitur attendentes prædictam cameram cum quibusvis personis quovis modo contracta firma persistere, et inviolabiliter observari debere, nec non te in causa cameræ sententiam favorabilem reportasse, ac volentes te, tuosque po-

steros, et successores, ut vos ferventitius Nobis, et apostolicæ Sedi obsequentes exhibere studeatis, ejusque Sedis liberalitate complecti, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum præsentium dumtaxat consequendi harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: nec non venditionis, et concordiæ prædictorum instrumentorum desuper confectorum tenores ac dictæ causæ statum præsentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine Castrum, seu locum Castri, et partem territorii hujusmodi, nec non te, tuosque in Castro, seu loco, et parte territorii hujusmodi successores, quoscumque, et a vobis ratam habentes ab omni jurisdictione populi, et communitatis Auximanæ illiusque territorii, et districtus cum eadem immunitate, et exemptione prædicta per dictam cameram prædicto Benvignato vendita fuerant, etiam pro rata laboratorum, et colonorum ibidem laborantium auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo segregamus, dismembramus, dividimus, absolvimus, et liberamus, ac Sedi, et cameræ apostolicæ tantum, ita ut alium superiorem, quam Nos, et romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem prædictam non recognoscatis, et communitas prædicta, ejusque officiales pro tempore existentes nullo unquam tempore de castro, seu illius loco, ac parte territorio, nec non districtu prædictis quoque modo se intromittere audeant, immediate subiicimus, ac segregata, dismembrata, divisa, et separata, nec non exempta, et absoluta, ac libera, et subjecta esse decernimus, tibique, nec non filiis, hæredibus, et successoribus tuis quibuscumque omnimodam exemptam, et immunitatem etiam pro rata laboratorum, et damnorum prædictorum, nec non integrum, et plenum statum, et dominium, omnimodamque potestatem, civiles, et criminales causas tam meri, quam mixti imperii in incolas, et habitatores castri, seu illius loci, et partis territorii hujusmodi exercendi, dictumque Castrum ædificare, et habitationes tam pro te, quam pro incolis, et colonis construi, omniaque, et singula in præmissis, et circa ea necessaria, et opportuna faciendi, ordinandi, et disponendi, plenam, et liberam auctoritatem, et tenore præsentis facultatem concedimus, districtius inhibentes communitatis, et officialibus prædictis, ut te, et successores, et laboratores prædictos super præmissis, eorumque usu, et possessione, seu quasi directe, vel indirecte quovis quæsito colore molestare, seu quomodolibet impedire audeant, seu præsumant, ac decernentes in præmissis per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et orum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate definiri, et judicari debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa venerabilibus fratribus nostris Eugubinen., et Camerinen, et Ferretranen. Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi aut duo, aut eorum unus per te, vel alium, seu alios præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte tua, et hæredum, et successorum tuorum, nec non laboratorum, e colonorum prædictorum, seu alicujus vestrum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes Nobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, et in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac se, et singulos alios, quos ipsæ literæ concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes Nos desuper contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, et rebelles per censuras, et pœnas ipsas etiam reiteratis vicibus aggravantes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus concordia, et contentis in ea, et alii, præmissis; ac rec. me: Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri qua cavetur ne qui extra civitatem suam, vel diæcesim, nisi in certis casibus, et in illis non ultra unam dictam a fine suæ diæcesis ad judicium evocare, seu ne judices a Sede prædicta deputati extra civitatem et diæcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, et de duabus dictis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres dictas aliquis auctoritate præsentium non extrahatur, et quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non legibus imperialibus, ac aliis dictæ ci-

vitatis juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, reformationibus, et decretis, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem communitati forsan per Nos, et quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem apostolicam prædictam etiam ex quibusvis maximis, et urgentissimis causis etiam motu proprio, et scientia simili, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, nec non irritantibus, ac aliis decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pænitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserta foret præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et espresse derogamus contrariis quibuscumque, aut communitati, et officialibus prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sancta Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, ad judicium evocari non possit per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, segregationis, divisionis, subjectionis, concessionis inhibitionis, decreti memorati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursusam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo septimo, 19 kalendas Februarii, pontificatus nostri anno quarto. Jo: de Sartis = Jo. Beret: B. Modier. Joannes Moliza. P. Decadus. Jacobus de Brac. An. Maximus R. de Torres 25 laure. etc.

*Executionem obtinuit suam, antedicta constitutio Pauliana.*

§. 3. Subsequenterque comparuit coram Nobis illmus dominus Antonius Maria Gallus et dominus patronus dicti Castri Montis Galli, ejusque territorii, petiit, et instituit insertas literas apostolicas ut supra expeditas, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa quæcumque ipsi, ejusque colonis, et laboratoribus observari mandari, et mandatum de observando concedere, et decernere dignaremur. Nos attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, et rationi consonam mandatum de observando ut infra concedendum fore, et esse duximus, et concedimus per præsentes, quo circa dominum Emum, et Rmum dominum Cardinalem Episcopum Camerinen. rogamus, atque in domino hortamur d. vero ejus Rmo domino Vicario generali, ac vobis omnibus, et singulis, et vestrum cuilibet insolito tenore præsentium auctoritate nostri thesaurieratus officii committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub mille ducatorum auri cameræ apostolicæ applican., et pro illis mandati executioni, et in juris subsidium excommunicationis, et trium ictuum funis infligen., aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis stricte præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, et receptis præsentibus, et postquam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus ex p. d. Illmi domini Antonii Mariæ Galli instantis, ejusque colonorum, et laboratorum parte nostra, imo verius apostolica per insertas literas apostolicas in forma brevis ut supra expeditas, omnia, et singula in ea contenta, et expressa quæcumque eidem domino Antonio Mariæ Gallo instanti, prædictique ejus colonis, laboratoribus, agentibus, et ministris inviolabiliter, et respective observan., et adimplen., adimplerique, et observari mandatis, et faciatis in omnibus et per omnia prædicta in eisdem præinsertis literis continen., non permittentes eumdem instantem, ejusque colonos, laboratores agentes, et ministros in, et super præmissis quomodolibet indebite molestari, perturbari, seu impediri, et insuper modo, et forma, et auctoritate præmissis inhibeatis, et inhibendo expresse præcipiatis, et mandatis eisdem omnibus, et singulis supradictis, et vestrum cuilibet insolitum, nec non communitati, et hominibus civitatis Auximi, ejusque cancellario, exactoribus, omnibusque aliis in executione præsentium nominatis, et cognominatis, quibus, et Nos earumdem tenore præsentium inhibemus, præcipimus, et mandamus, ne sub dictis, ac aliis etiam gravioribus arbitrio infligendis, etiam corporalibus pœnis audeant, seu præsumant, aut eorum aliquis audeat, seu præsumat dictum dominum instantem, ejusque colonos, la-

boratores, agentes, et ministros ad aliquam cujusvis oneris, servitutis, redditus, canonis, census, ac pascuorum, aut aliorum quorumvis onerum, et impositionum occasione dicti Castri Montis Galli, ejusque territorii prætensam solutionem contra formam, et tenorem dictarum præinsertarnm literarum apostolicarum cogere, seu compellere, aut ipsum instantem, aliosque suos prædictos realiter seu personaliter, aut alio quovis modo molestare, vexare, perturbare, inquietare, seu impedire, aut cogi, compelli, molestari, vexari, perturbari, inquietari, seu impediri facere, permittere, vel mandare, nec quidquam aliud in præmissis in ejusdem instantis, suorumque prædictorum damnum, et præjudicium attentare, seu innovare, attentatumve, seu innovatum ulterius prosequi, mediare, terminare, vel finire per se se, vel alium, seu alios quovis prætextu, quæsito colore, causa, vel ingenio, et si quid actum, seu attentatum fuerit omnia in pristinum reposuisse, et remississe, reponique, et remitti fecisse, et mandasse, ac præsentibus omnino paruisse, et obedivisse, alioquin contra inobedientes, et præmissis non parentes ad supradictarum pœnarum incursus declarationem, et omnimodam exequutionem procedemus justitia mediante contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem ec. Datum Romæ ex aedibus nostris hac die 9. Octobris 1668. B. Bonaccursius Thesaurarius generalis = Loco ✠ Signi. Domini Illmi Franciscus Antamorus = Mandatum de observando = Potiuntur, inquam, et gaudent tam ipse dominus Antonius Maria, quam ejus laboratores, coloni, ministri, et agentes, ac alii ab eo rationem habentes omnibus præinsertis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus prærogativis etiam juris pascendi, ac omnimoda jurisdictione, et potestate civiles, et criminales causas tam meri, quam mixti imperii in incolas, et habitatores dicti Castri, seu illius loci, et qartis territorii, ibique ædificandi, ac omnimoda segregatione a jurisdictione populi, et communitatis Auximanæ. Nihilominus vos prædicti, et forsan alii nescientes quo jure jactastis et jactatis, seque jactarunt velle dictum dominum exponentem, laboratores, et colonos, ministros, agentes, et alios ab eo rationem habentes molestare, vexare, perturbare, inquietare, et impedire contra formam dictarum literarum apostolicarum mandati de observando, et juris in grave ipsius damnum, præjudicium et interesse, et forsan adhuc molestare cæpistis. Propterea ad Nos tamquam delegatum apostolicum recursum habuisse, et reproducen. præinsertas literas apostolicas mandatum de observando, ac literas hortatorias dicti illmi domini Thesaurarii majoris petiisse de opportuno juris remedio provideri. Nos vero attendentes requisita hujusmodi fore juxta. Volentes, ut tenemur, dictas literas apostolicas debitæ exequutioni demandare, et pro illarum observantia insistere, ac unicuique jus dicere, ac tribuere, prædicta omnia ec. Vobis omnibus, et singulis supradictis, et vestrum cuilibet, insolita auctoritate apostolica, et in vim etiam dictarum hortatorialium præcipimus, et mandamus, stricteque præcipiendo inhibemus etiam sub pœna, et ad pœnam mille auri scutorum R. C. A. applicandorum, et pro illius mandati executione, ac in subsidium excommunicationis, suspensionis, et iuterdicti, aliisque gravioribus etiam corporalibus arbitrio nostro pænis ec. quatenus visis, seu receptis præsentibus, et post præsentium exequutionem non audeatis, nec aliquis vestrum audeat quovis sub prætextu, quæsito colore, vel ingenio dictum dominum exponentem, colonos, laboratores, agentes, ministros, ac alios a dicto domino rationem habentes ad aliquam cujusvis oneris, servitutis, redditus, canonis, census, ac pascuorum, et aliorum quorumvis onerum, et impositionum occasione dicti Castri montis Galli, ejusque partis territorii illi subjectæ ad aliquam solutionem contra formam, et tenorem dictarum præinsertarum literarum apostolicarum cogere, et compellere, nec alio quovis modo molestare, vexare, perturbare, inquietare, et impedire, seu impediri facere, permittere, vel mandare, nec quidquam aliud in præmissis ejusdem domini exponentis, suorumque prædictorum damnum, præjudicium, gravamen ec. attentare, vel innovare, attentatumve, seu innovatum ulterius prosequi, mediare, terminare, vel finire per vos, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte ec. quovis sub prætextu ec. Et si quid actum, et attentatum fuerit in pristinum reposuisse, et reponi mandamus, et præsentibus nostris, imo apostolicis mandatis omnino paruisse. Alioquin ec. Si quis autem ec. comp. ec. In fidem ec. Datum Camerini in episcopali palatio hac die x.

Novembris 1668. = J. Card. Fransonus Episcopus Camerinen. ec.

Loco ✠ Sigilli ec.

Angelus Bellonus Canc. de mto.

Quæ etiam per rescriptum auditoris Sanctissimi fuerat confirmata.

§. 4. Vi itaque præmissorum omnium, cum idem exponens privilegiis hujusmodi usus, et gavisus fuerit, ac utatur quoque, et fruatur, nec non insuper facultas libere extrahendi fructus, ac redditus memorati latifundii in contradictorio judicio citata Camera prædicta ex decreto congregationis cameralis habitæ die 28 Aprilis MDCCL. approbari promeruerit, Nos ad ejsdem exponentis preces supra insertas memorati Pauli prædecessoris literas per rescriptum editum die 27. Septembris MDCCLXI. a dilecto filio nostro Andrea S.R.E. diacono Cardinali Nigrono nuncupato tunc temporis nostro auditore confirmavimus et approbavimus, tenor vero precum, et rescripti hujusmodi est qui sequitur nempe = Foris. Alla Santità di Nostro Signore Clemente PP. XIII. = Per il Sig. Conte Antonio Maria Gallo = Intus vero = Beatissimo Padre = Il Conte Antonio Maria Gallo nobile della città di Osimo suddito, ed oratore umo della Santità Vostra con ogni ossequio l'espone di possedere per ragione, e titolo della primogenitura istituita dalla fel. me. del Cardinale Antonio Maria Gallo una raguardevole tenuta denominata di Monte Gallo, presso, la città sudetta di Osimo, ed ultimamente decorata dalla Santità Vostra *con titolo di Contea*, ed oltre i privilegj, che godeva, aggraziata anche della facoltà *di una fiera e della caccia riservata*, e siccome la detta tenuta proveniva in origine dalla R.C.A. dalla quale era stata venduta con varj privilegj, fra' quali coll' esenzione da ogni jus, e dominio territoriale, e dalla servitù del jus pascendi, e dei danni dati, e facoltà di estrarre per mare, e per terra liberamente tutti i prodotti, e rendite della sudetta tenuta, fu graziosamente dalla S. M. di Paolo III. concessa la conferma di tali privilegj colla dismembrazione della tenuta sudetta di Monte Gallo dal territorio di Osimo, come più diffusamente da tal Breve emanato li 14 Gennaro 1537 per la di cui osservanza, ed esecuzione, precedente la cognizione della causa, oltre il mandato spedito da Mons. Tesoriere generale, n'emanò susseguentemente l'inibizione, e mandato de observando dalla fel. me. del Cardinal Franzoni Vescovo di Camerino e delegato apostolico sotto il dì 10 Novembre 1668, come dalla copia autentica di tal Breve, mandato, ed inibizione che si umiliano annessi, ed ancorchè l'oratore si trovi in possesso di tali privilegj, e che specialmente gli sia stata in contradittorio giudizio citata la camera, canonizzata la facoltà di estrarre liberamente i prodotti della detta tenuta, come dal decreto camerale della congregazione tenuta il dì 28 Aprile 1750, contuttociò bramando l'oratore, che dalla Santità Vostra gli venga confermato il Breve come sopra concesso dalla S.M. di Paolo III. con tutti li privilegj, facoltà, e grazie in esso contenute; supplica perciò umilmente la Santità Vostra a volersi benignamente degnare aggraziarlo di tale conferma; Che della grazia ec. = Tenor rescripti est sequens videlicet = A Mons. Uditore, che ne parli = Die 27 Septembris 1761 = Ex Audientia SSmi = SSmus benigne annuit pro gratia juxta petita = A. Nigronus Auditor = Loco ✠ Sigilli.

Sed ad graviorem privilegiorum observantiam, accessit Pontificis sanctio quæ observantiam litterarum, et mandati decrevit, omnibus in contrarium facientibus derogatis.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, firmiora illa sint, quæ frequentiori apostolicæ confirmationis præsidio roborantur, ideoque dictus exponens iterum præfatas ejusdem Pauli prædecessoris literas, nec non mandatum, et inhibitionem memorati Jacobi Cardinalis per Nos approbari, et confirmari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas ejusdem Pauli prædecessoris literas, una cum præinsertis quoque mandato, et inhibitione dicti Jacobi Cardinalis, ac cum omnibus, et singulis in illis contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur iterum adiicimus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia ple-

nissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet gravis alia jbdicandi, et interpretaudi facultate, et auctoritate, judicari, e definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis aucturitate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Pii Papæ IV. prædecessoris Nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in Camera apostolica infra tres menses præsentandis, aliisque constitutionibus, et ordinationtbus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Maii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

---

Dat. die 23. Aprilis 1768. Anno X.

## DCLXXXVIII.

Confirmatio statutorum, et privilegiorum, pro, sic nuncupatis, nonaginta Pacificis viris Ravennatensis civitatis.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur privilegia, indulta, gratiæ, et concessiones jam alias a summis Pontificibus, et præsertim Gregorio XV. elargitæ collegio.

§. 1. Alias felicis recordationis PP. Gregorius XV. prædecessor Noster per suas in simili forma brevis die XVIII. Junii MDCXXI. expeditas literas omnia, et singula privilegia, gratias, concessiones, immunitates, facultates quascumque, ac literas apostolicas per quoscumque romanos Pontifices prædecessores tunc suos, nunc nostros, ac per Sedem apostolicam, ejusque legatos, vice-legatos, et alios ministros, ac officiales, nonaginta viris Pacificis nuncupatis civitatis Ravennaten. concessa, nec non ipsorum statuta, constitutiones, decreta, reformationes, et capitula sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo approbavit, eaque inviolabiliter observari debere decrevit, et declaravit, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Ratio confirmationis.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii moderni nonaginta Pacifici civitatis prædictæ Ravennaten. Nobis nuper exponi fecerunt, firmiora sint ea, quæ frequentiori auctoritatis apostolicæ præsidio roborantur; quocirca præmissa omnia per Nos denuo approbari, et confirmari dicti exponentes plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis sibi opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris, et confirmatio omnium privilegiorum, gratiarum, indultorum, immunitatum collegio concessarum, quæ tamen sint in usu, nec fuerint revocatæ, et dummodo ecclesiasticam non lædant disciplinam.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicta omnia, et singula privilegia, gratias, concessiones, immunitates, et facultates quascumque, ac literas apostolicas etiam in forma brevis super his per quoscumque romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem apostolicam, et ejus legatos, et vice-legatos, et alios ministros, et officiales dictis nonaginta Pacificis nuncupatis præfatæ civitatis concessa, quatenus sint in usu, et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec non statuta, constitutiones, decreta, reformationes, et eorum capitula justa tamen, et rationabilia, et quatenus contra libertatem ecclesiasticam non tendant, neque sacris canonibus, aut Concilii Tridentini decretis adversentur, ac debitæ Nobis, et S. R. E. obedientiæ, et fidelitati non repugnent, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, illisque perpetuæ, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque tam juris, quam facti defectus, si qui in eis intervenerint, supplemus, eaque omnia, et singula ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pro tempore in futurum spectabit perpetuo inviolabiliter observari debere decernimus, et declaramus.

Collegium subjicitur jurisdictioni a latere legati pro tempore provinciæ Ravennatensis.

§. 4. Volumus autem, quod dicti nonaginta Pacifici, eorumque collegium, una cum omnibus suis dependentiis subjecta semper sint, ac esse intelligantur superiori jurisdictioni, et auctoritati dilecti filii nostri Æneæ Silvij S. R. E. diaconi Cardinalis Piccolominei nuncupati nunc, et pro tempore existentis nostri, et Sedis apostolicæ in provincia nostra Romandiolæ, et exarcatu Ravennæ de latere legati, quem prædictorum privilegiorum, prærogativarum, et statutorum, ac eorum usus, et consuetu-

dinis interpretem constituimus, et deputamus.

Literarum executio singulis committitur, irritumque declaratur quidquid adversus earum tenorem quisque fecere, vel decernere præsumeret.

§. 5. Ac decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die xxiii. Aprilis MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

---

## DCLXXIX.

Dat. die 20. Aprilis 1768. Anno X.

Derogatio constitutionis Benedicti Papæ XIV. super reformatione tribunalium, quoad propinas in causis recursus a judicibus subdelegatis percipiendas.

### Clemens PP. XIII.

### Ad futuram rei memoriam.

Demonstratur quam provida sit derogatio nonnullorum constitutionum apostolicarum, quorum tenor cum supervenientis circumstantiis non bene aptari possit.

§. 1. Ea profecto est rerum humanarum ratio, ut plurima, quæ alias a romanis Pontificibus prædecessoribus nostris sapientissime, ac providentissime constituta, et veluti in perpetuum ordinata reperiuntur, variantibus vicibus sublatisque iis momentis, propter quæ sic constituta, et ordinata illa fuerunt, aliter juxta salutarem providentiæ ordinem disponantur, ac stabiliantur. Sane pro parte dilectorum filiorum publicorum repræsentantium procuratorum, et notariorum, seu comunitatis et hominum civitatis nostræ Fulginaten. Nobis nuper expositum fuit, quod, attenta constitutione super reformatione tribunalium a fel. rec. Benedicto Papæ XIV. patre nostro anno incarnationis dominice MDCCXL. iv. duodecimo kalendas Januarii pontificatus sui anno quinto editæ quæ incipit = romanæ curiæ etc. et præsertim paragrapho duodecimo. Item = exceptis causis = quo cavetur, ut in causis recursus a judicibus subdelegatis procedatur ut in prima instantia, ac prohibitur iisdem judicibus, ac notariis ne quidquam emolumenti, neque propinæ, neque regesti titulo recipiant; factum est in eadem civitate Fulginaten. ut plurimæ causæ supremæ remaneant, ac indecisæ permansuræ fortasse semper in eodem statu nec unquam optatum finem consecuturæ, eo, quod judices subdelegati causas hujusmodi cognoscendi definiendique onus decretant et quandoque etiam deputationi de se facta renuntiant, sublata sibi spe laboris sui mercedem assequendi percipiendique propinam, quæ cæteroquin persolvi consuevit judicibus ordinariis, licet isti teneantur ratione muneris caussas omnes, quæ ad eos deferuntur cognoscere, ac dijudicare, ac non obstantibus reliquis emolumentis omnibus eorum officio aduexis: notarii ipsi quoque incommodum, ac impensam subire renuunt in causis recursus quidquid necessarium est in acta referendi sine regesti mercede, eoque magis quod officia sua obtinent titulo oneroso, ac quilibet eorum comunitati præscriptæ annua triginta scutorum monetæ solutionem præstare debet. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, magnum ex his rebus omnibus comunitati, et hominibus præscriptis damnum proveniat.

Preces porrectæ pro derogatione assequenda constitutionis benedictione, et affectiva derogatio.

§. 2. Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excomunicationis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, auditis informatione, et votò ven. fratris Marii Episcopi Fulginaten. ac dilecti filii moderni civitatis Fulginaten. præscriptæ gubernatoris, licet per dictum §. XII. memoratæ constitutionis Benedicti prædecessoris præscripti super reformatione tribunalium editæ præscriptam cautumque reperiatur, ne judices deputati in caussis recursus, propinas et regesta recipiant cui quidem paragrapho per præsentes quoad causas

recursus ad comunitatem et homines præscriptos dumtaxat spectantes et pertinentes auctoritate et tenore præsentium derogamus.

Conceditur propterea etiam judicibus in causis recursum electis, facultas consequendi sportulam ad instar judicum ordinariorum.

§. 3. Ac insuper auctoritate et tenore præsentis concedimus volumus et mandamus, quod in caussis recursum ad comunitatem et homines hujusmodi spectantibus imposterum judicandis procedi valeat cum solutione emolumentorum, propinæ aut sportularum, et regesti; ita tamen ut ejusmodi emolumenta a judicibus deputatis et notariis penes eos inservientibus percipienda non majora sint iis quæ judicibus ordinariis eorumque notariis solvantur in prima instantia. Decernen. easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari.

Mandatum de procedendo ad tramites hujus reformationis.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditoris judicari, et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstan. præscripta Benedicti prædecessoris præsenti, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Mariam majorem sub annulo piscatoris die xx. Aprilis MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

# ANNO UNDECIMO

Dat. die 13. Julii 1768. Anno XI.

## DCLXXX.

Exprobatur depulsio clericorum regularium societatis Jesu arbitrarie præcepta ab Emmanueli Pinto magno Magistro hospitalis s. Joannis Hyerosolimitani.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Conquestio de arbitrio suscepto contra monitum s. Sedis.

§. 1. Quæ tui facti fuerit ratio in paranda profectione clericis regularibus soc. Jesu, quibus omnibus fuit ex ista insula abeundum; et in occupandis eorum ecclesiis, domibus, ceterisque bonis quomodo te gesseris, gravissime audivimus, et molestissime tulimus. Etenim qua ratione omnia hæc curanda statuissemus, tibi per tui Ordinis oratorem, et per dilectum filium Octavium Mancinfortem in ista insula inquisitorem liquido, et diserte exposuimus. Tu, tamen adversus hanc voluntatem nostram longe aliam, et ei quam tibi commonstravimus in hæc re perficienda prorsus appositam viam insistere voluisti; quæ causa fuit, quamobrem quidquid in ea re feceris, designaveris gesseris, et consilium etiam tuum expressæ voluntatis nostræ alioquin omnino inscium approbaverit, et confirmaverit, Nos omnibus nominibus nullum, irritum, illicitum, et attentatum habuerimus.

Excipiuntur tamen excusationes porrectæ, et protestationes de satisfactione præstanda.

§. 2. Idque quantam Nobis attulerit ægritudinem gravioribus ostendere debuissemus indiciis; sed molestiæ nostræ asperitatem emollierunt litteræ tuæ die XV. elapsi mensis Junij datæ, quæ filialis, religiosæque observantiæ erga Nos, et obsequiis plenæ summam præferunt tuam ad parendum Nobis voluntatem, et paratissimum animum. Quidquid enim te facere jubebimus, scribis te, tuumque Ordinem id illico præstiturum. Tales observantiæ, et obedientiæ sensus devotis Ecclesiæ filiis conveniunt, multoque magis eos viros decent, qui religiosum institutum profitentur, maximeque Ordinem vestrum, quem semper habuit apostolica Sedes eximium, eique, quidquid occasionis fuit, nullo non tempore sese beneficentissimum præbuit.

Declaratur quid præstare teneretur ut s. Sedis gratiam, et indulgentiam excitaret.

§. 3. Ad hos igitur animorum voluntatumque vestrarum sensus paternis oculis respicientes nil causæ habuimus, cur rationes, quas Nobis modo attulistis redargueremus, easque potius ad benigniorem, et accuratam magis considerationem suscepimus revocandas. Nosque idcirco decrevimus ipsi Nos expendere, quem ad usum in præsenti, et per modum provvisionis maxime expediat adhiberi memoratas domus, et cetera bona, quæ dudum ad supradictos clericos regulares soc. Jesu pertinebant. Primum igitur te, dilecte fili, et quotquot illius facti fuistis quoque modo participes, sedulo, et paterne admonemus, ut animæ, et conscientiæ quisque suæ, consulatis. Deinde ex omnibus singulisque locis, quæ memoravimus, ubi nihil opus erat præsidio armorum, milites revoces nulla prorsus causa, et magna bonorum omnium offensione, et scandalo ibi appositos. Tum dilecto filio Octavio Mancinforti descriptiones, notulas, et inventaria Nobis transmittenda quarumcumque rerum tradas, quas ministri tui occupaverunt. Eas vero res inter ea apud te depositas volumus, ut legitima auctoritate nostra retineas, fideliterque custodias, dum constituamus quis optimus earum usus futurus sit ad Dei cultum honorem, et gloriam, et ad publicam utilitatem; ac propterea libenter ex te audiemus, quæ sint in hac re tum consilia, tum etiam tua desideria, nec tua tantum, sed venerabilis quoque fratris Bartholomæi Episcopi Melitensis, cujus non modo jura omnino salva esse volumus, sed etiam pastoralibus ejus curis obsecundare intendimus. Nihil enim Nobis antiquius est, quam jus cuique suum tribuere, et omnia negotia mature, prudenterque perficere. Volumus denique, ut hanc nostram clementissimam voluntatem cum consilio tuo communices. Illi enim æque, ac tibi obedientiæ, quam Nobis profitemini

meritum existimamus esse debere communem vobis omnibus apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, et consilio, et universo Ordini peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decimatertia Julij MDCCLXVIII. = Pontificatus nostri anno XI.

---

Dat. die 19. Julii 1768. Anno XI.

## DCLXXXI.

Facultas ministro generali Ordinis Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum deputandi Vicarium generalem, et tres assistentes ejusdem Ordinis sub certis legibus, et conditionibus in provinciis Castellæ, Bethicæ, et Aragoniæ.

### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Hispaniarum Rex, ad majorem conservationem disciplinæ penes regulares ordinis sanctæ Trinitatis redemptionis captivorum, instetit pro deputatione Vicarii generalis, cum facultate visitandi, et regendi monasteria, absente ministro generali.

§. 1. Apostolici cura regiminis Nos monet, ut præcipuam de Religiosis viris assiduos labores pro æterna animarum salute procuranda suscipientibus sollicitudinem habeamus, ne ipsi ab exercitio bonorum operum per animorum dissentiones amoveantur, sed quibuscumque sublatis, eliminatisque dissidiis, omnia inter eos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum, regularem disciplinam conservandam, procurandamque æternam animarum salutem, componantur, et constabiliantur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator generalis Ordinis ssmæ Trinitatis redemptionis captivorum, quod compositis, sedatisque in provincia Bethica ejusdem Ordinis nonnullis dissentionibus domesticis, quæ jam antea in ea subortæ fuerant et pro quibus compescendis, ac dirimendis carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, Visitatorem in provincia hujusmodi a Nobis apostolica auctoritate deputari obtinuerat, idem Karolus rex, singulari qua pollet pietate, fraternæ pacis, ac tranquillitatis, et regularis disciplinæ conservationem, incrementumque, tam in prædicta, quam in aliis ejusdem ordinis provinciis in locis suæ ditionis consistentibus enixe desiderans, pro institutione, ac deputatione Vicarii generalis ex natione Hispanica, qui in absentia majoris, ac Generalis ministri Ordinis hujusmodi in Galliarum regnis degentis, jus haberet provincias prædictas visitandi, regendi, et gubernardi apud Nos suo ipsius Karoli regis nomine instare curavit.

Instantiam remisit Pontifex peculiari congregationi eminentissimorum Cardinalium, sed interea temporis minister generalis novi regiminis regulam introducit, quam accepto habuere tum Hispaniarum, tum Francorum Rex.

§. 2. Hujusmodi vero instantiam examinandam remisimus particulari congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos ad hunc effectum expresse delegavimus. Interea tamen, cum hujus rei notitia ad dilectum filium modernum majorem, ac Generalem ministrum dicti Ordinis pervenisset, ipse piissimis votis ejusdem Karoli regis obsecundare, bonumque provinciarum prædictarum totis suis viribus promovere percupiens, formam, seu normam quamdam novi regiminis in iisdem provinciis instituendi in sex capita distributam memorato Karolo regi præsentare non omisit, ea spe ductus, quod ex iis, quæ in capitibus hujusmodi apte, ac opportune disposita fuerant, regularis disciplina stabilienda, ac conservanda esset, prout revera tam eidem Karolo regi, quam carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo contenta in prædictis capitibus apta, et sufficientia ad obtinendum volitum tranquillitatis, et regularis obsarvantiæ intentum visa fuerant.

Cum autem novam reformatio introducta compariretur contra prohibitionem expressam in constitutione edita ab Alexandro Papa VII., illius adprobatio exposcitur, cum derogatione Alexandrinæ constitutionis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ea, quæ in capitibus præfatis expressa sunt in aliquibus adversentur constitutionibus dicti Ordinis a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore nostro approbatis, in quibus, ut asseritur, expresse prohibitum fuit, ne major, ac Generalis minister visitatorem, aut Vicarium generalem instituit in dictis provinciis, quo circa illa per Nos approbari, et dictis constitutionibus derogando, apostolica auctoritate confirmari idem exponens plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur gratia expostulata.

§ 4 Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione venerabilis fratris Francisci Archiepiscopi Patracen. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcopo-

rum, et regularium præpositorum secretarij, attentis narratis, prædicto nunc, et protempore existenti majori, ac Generali ministro ejusdem Ordinis, ut in posterum ipse in provinciis Castellæ Bethicæ, et Aragoniæ Ordinis hujusmodi instituat, semperque habeat Vicarium generalem alternatim ex his provinciis desumendum, facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Additur ut eligatur insimul tres assistentes.

§. 5. Volumus autem, quod prædicto Vicario Generali idem major, ac generalis minister adjungat tres Assistentes desumptos ex memoratis tribus provinciis, et cum uno tantum ex dictis tribus assistentibus idem Vicarius generalis eo solum casu per se ipsum, vel respective per suos assistentes prædictos triennio quolibet una vice visitationem earumdem provinciarum nomine, et auctoritate majoris, et generalis ministri peragat, quoties nempe ipsemet major, ac generalis minister ad eas visitandas personaliter minime accesserit, ita ut in casu, quo idem major, ac generalis minister per se ipsum provincias hujusmodi visitaverit, tunc Vicarium generalem, et assistentes prædictos ab illis lustrandis toto eodem triennio se abstinere omnino debere, auctoritate, et tenore prædictis decernimus, atque statuimus.

Cum lege ut electio perduret ad sexennium tantum.

§. 6. Præterea ad sexennium tantum, et non ultra Vicarium generalem, et assistentes prædictos a majori Generali ministro nominandos esse, excepto solum casu, quo sexennio hujusmodi durante, quis ex illis electus fuerit in locum alterius ex nominatis deficientis, neque ultra dicti sexennij tempus eorum dignitatem sub quovis prætextu protrahi posse volumus, et jubemus; durante autem sexennio, hujusmodi, ne dictus major, ac Generalis minister, exceptis casibus a jure expressis, Vicarium, et assistentes prædictos destituere valeat, prohibemus, et interdicimus, atque insuper, ut ij, qui ad Vicarii generalis, et assistentium hujusmodi respettive munera nominandi sunt, ut præfertur, ex numero graduatorum earumdem provinciarum assumi debeant, præscribimus, et mandamus, eorum vero electiones a majori Generali ministro, ut præmittitur, faciendæ, duobus mensibus ante completum sexennium per literas a Vicario generali electo ad ministros provinciales, et ab assistentibus pariter electis ad ministros locales suarum provinciarum respective transmittendas, absque ulla prorsus alia solemnitate, publicandas esse decernimus, et injungimus, eumdemque modum etiam in casu, quo durante sexennio, propter mortem Vicarii generalis, seu assistentium prædictorum, vel alias prout de jure novæ electiones a ministro generali fieri contingant servari debere volumus, et jubemus.

Vicario electo tribuitur facultas præsidendi capitulo, et definitorio, et irritandi electione, reservato recursu ad tribunal ministri Generalis.

§. 7. Cæterum Vicario generali sic, ut præfertur electo jus competat per se, vel per suos respective assistentes præsidendi capitulo, et definitorio cujuslibet ex dictis provinciis, et confirmandi seu annullandi, ac irritandi, prout de jure, electiones provincialium, non tamen per hoc recursum ad tribunal majoris generalis ministri ullo modo præpeditum esse intelligimus, sed auctoritatem ejusdem majoris generalis ministri semper salvam, et inconcussam remanere omnino debere declaramus. Demum Ordini quoque incedendi providere volentes, eidem Vicario generali locum priorem supra provincialem, assistentibus vero prædictis locum post provincialem, et ante ministros locales constituimus, atque assignamus; in capitulis tamen provincialibus, definitoriis, aut aliis cætibus hujusmodi, pro quoque in visitationibus nomine, et auctoritate majoris generalis ministri, ut præfertur, faciendis, ipsis tantummodo durantibus dictos assistentes, sive Vicarius generalis adsit, sive non, sessione immediate post Vicarium generalem, et ante ministros provinciales habere, auctoritate, et tenore prædictis volumus, statuimus, et mandamus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus, et nominatim constitutioni Alexandrinæ.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus ejusdem Alexandri prædecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque te-

noribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permasuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus pariter quod earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S.M. Majorem sub annulo piscatoris, die decima nona Julii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

---

Dat. die 30. Julii 1768. Anno XI.

## DCLXXXII.

De Greci ritus Episcopo in Hungariæ regno minime costituendo.

Carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ reginæ Apostolicæ nec non Bohemiæ reginæ illustri in Romanorum Imperatricem electæ viduæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia nostra salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur libenter auditum fuisse, regiam majestatem Hungaricam pronis auribus excepisse quidquid Agriensis Episcopus retulerat super incompatibilitate duorum rituum.

§. 1. Magno cum animi nostri gaudio accepimus regiam majestatem tuam Agriensi Episcopo ad te humanissime admisso, et de retinendis Græcis Munkacensibus eorumque Vicario sub Episcopi Agriensis potestate apud te disserenti faciles aures præbuisse. Qua in re, quæ catholicæ Religionis, et tua maxime interest, nostras quoque apud te, carissima in Christo filia nostra, conjuctas volumus preces, ut sinas te a præclaro Antistite exorari. Quod etiam a te ille postulat non modo ad catholicæ Ecclesiæ servandam integritatem, sed etiam ad rerum tuarum securitatem existimamus magnopere pertinere.

Constans Ecclesiæ usus super unicitate ritus commemoratur, præceptum ab Lateranensi Concilio.

§. 2. In omnibus diæcesibus, ubi essent duo diversi ritus, diversæque gentis populi, constans fuit Ecclesiæ disciplina, ut ab unico Episcopo regerentur. Quam disciplinam confirmavit habitum sub Innocentio III. concilium Lateranense; in quo sancitum fuit etiam civitatibus orientali Imperio ademptis, ubi Græci, et Latini promiscue commorabantur, Latinus Episcopus vicarium sibi subjectum destinaret, qui Græcis juxta eorum ritum sacramenta administraret.

Sanctio Concilii Lateranensis servata semper fuit tum in Italia, tum in Hungaria, et incomoda plurima obvenere ubicumque contrarius usus fuit vel permissus, vel tolleratus.

§. 3. Quæ saluberrima celeberrimi concilij sanctio tota Hungaria, et Italia, aliisque locis compluribus, ubi Latini cum Græcis essent permixisti, servata fuit: Neque vero diffitemur vel concessione, vel tollerantia hujus S. Sedis interdum ab eo, quod ea synodus constituerat, recessum fuisse. Sed utinam (fe. me. prædecessoris nostri Ben. XIV. utimur verbis) = utinam id nunquam indultum aut toleratum fuisset; inde enim factum est, ut Græci initio catholici, Episcopum Græcum catholicum aliquando nacti in eamdem schismatis atque etiam hæreseos labem adducti fuerint. Auctoque malis artibus numero subditorum Episcopi Græci, Latinorum numerus ad nihilum fere redactus sit, nec hactenus Latinis Episcopis vires sufficiant ad Græcorum schismaticorum audaciam repellendam =

Hortatur itaque, ut mala hæc ab Hungaria eliminentur, prohibita rituum duplicatione.

§. 4. Cui malo Deus probibeat in Hungariam aditum, patefieri. Sed impedimentum quo minus illuc possit irrepere nullum arbitramur opponi posse validius illo, quod, et universalis Ecclesiæ consuetudo probavit, et celeberrimum concilium sanxit, et experientia aptissimum esse docuit pro retinenda Græcorum catholica fide, et unitate. Nam quemadmodum in Agriensi diæcesi sola Latinorum antistitum opera, et zelo factum est, ut sancta inter Græcos cæpta sit unio, sumptisque procedente tempore viribus mirum in modum excrevit, et nunc maxime vigeat, ita si Græci Agrienses e Latini Episcopi potestate subducantur, non modo ipsi Episcopo ea facultas eripitur, qua sanctam unionem fecit adhuc florere, sed occasio etiam græcis offertur, quæ suæ ipsorum inconstantiæ indulgeant, et propensioni ad schisma sibi quodammodo inditæ obsecundent. Neque enim ignorat majestas tua, quod cum in Transylvania rogatu Caroli VI. inclyti parentis tui, Graecus Episcopus ab omni Latini antistitis potestate liber con-

stitutus fuerit, adactam te tamen fuisse, rogare memoratum prædecessorem nostrum Benedictum XIV., ut eidem Græco Episcopo perpetuum Latinum assessorem deputaret abs te nominandum; idque non alia de causa, quam quod verebare ne Græcus Episcopus omni metu liberatus, et ab omni Latinorum cura, ac vigilantia subductus, non satis retenturus esset debitam erga te fidem, et in sancta unione constantiam. Ideoque adjiciendus illi fuit eorum, quæ subinde gererentur, veluti quidam inspector, cujus in te, tuasque res, carissima in Christo filia nostra, tibi esset perspectissimum studium, et probatissima fides. Quis igitur comodis, tuarumque rerum securitati repugnat Græcam nationem non amplius Episcopis Agriensibus in posterum esse subjectam, qui in conservandæ religionis zelo, et erga suum regem egregia fide summam omnes laudem sunt consecuti. Contra si Græca natio potestati Græci Episcopi subjiciatur; vide quæsumus, carissima in Christo filia nostra, ne a natione Latino nomini tantopere adversa perpetuus metus debeat animo tuo insidere.

Hæc omnia fieri declarat absque injuria Grecorum, suamque apostolicam adhibiturum spondet sollicitudinem, ne ullum inde incomodum exoriatur in reguo.

§. 5. Qua in re nulla fit Græcis injuria. Quam nam enim existimabimus facere injuriam cum res quo in loco sunt, in eodem volumus permanere? Quod si Græci aliquando apud regiam majestatem tuam quidquam habeant conqueri in quo se laedi arbitrentur, per quam facile est ipsi Ageriensi Episcopo eorum sedare querelas, et ipsi Nos regiæ majestati tuæ apostolicam sollecitudinem nostram, et curam adhibituros promittimus, quo convenientioribus quibuscumque modis Græcorum in tua ditione degentium tranquillitati consultum sit; atque ita sancta unio firmiore quodammodo glutine coagmentetur in dies, et in eorum animis alacritas ad sibi parendum augeatur, et fides. Huc enim denique in hac re spectant cogitationes nostræ. Tu vero, carissima in Christo filia nostra, si ad hujus rei naturam attentum, et ab omni præjudicio vacuum animum adjicias, profecto comperies, et catholicæ Religioni, et regiis rebus tuis multo fore conducibilibus, si Græci nulla nova, sed eadem, qua usque adhuc ratione, semper in posterum gubernentur. Et regiæ majestati Tuæ, qua præcipua prosequimur charitate apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris, die XIII Julij MDCCLXVIII pontificatus nostri anno undecimo.

## DCLXXXIII.

Dat. die 21. Augusti 1768. Anno XI.

Indultum ut puellæ terræ Scandiani Regien. diæcis monacari valeant in quocumque monasterio dictæ civitatis, et diæcesis, et percipere possint subsidium dotale ab opere pio, BELLI nuncupato, et instituto in ipsa Regien. civitate.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum quæ brevi causam dedere.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum præsidentium, et executorum testamentariorum operis pii, Belli nuncupati, loci, seu terræ de Scandiano Regien. diæcesis Nobis expositum fuit, quod cum dictum opus alias institutum fuerit ad effectum monachandi in monesterio monialium sanctæ Catharinæ civitatis Regien. puellas dictæ terræ, quæ graviori laborarent paupertate, licet contra judicialiter fuerit protestatum; sæpe vero contingat, ut in eodem monasterio aut desit locus, aut expensæ sint multo majores quam in reliquis monasteriis, aut denique earum vocatio sit ad aliud institutum, ipsæ puellæ pii desiderij sui compotes fieri nequiunt.

Conceditur gratia juxta petita.

§. 2. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, quatenus puellis, quæ dicti pii operis participes esse, et ab ipso dotalia subsidia consequi possunt, ut quodcumque civitatis, et diæcesis Regien. monasterium ad effectum monachandi sibi eligere valeant, dummodo monasterii hujusmodi moniales contentæ sint, subsidium tercentum scutorum monetæ pro dote spirituali, et centum quinquaginta aliorum scutorum similium pro aliis expensis a prædicto opere pio recipere, Nos indulgere de benignitate apolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii nostri Ferdinan-

di S. R. E. presbyteri Cardinalis de Rubeis nuncupati hujusmodi causæ ponentis, et venerabilis fratris Episcopi Regien. attenderunt, consilio, ipsorum exponentium precibus juxta petita apostolica auctoritate tenore præsentium indulgemus.

Derogatur institutioni Pii operis, et voluntas institutoris immutatur.

§. 3. Non onstantibus dicti operis pii institutione, ejusque institutoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa, quatenus opus sit, plene, et sufficienter commutamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die III. Augusti MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno XI.

---

Dat. die 13. Augusti 1768. Anno XI.

## DCLXXXIV.

Committitur Episcopo Posnanien. uniendi orphanotrophium, et domum correctionis Versaviæ, cum societate manufacturarum et lanificii regni Poloniæ.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio status locorum Piorum, quorum unio expostulatur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati societatis manufacturarum, et lanificii in regno Poloniæ existen., quod alias bo. me. Christophorus, dum vixit, Episcopus Posnanien. cum pastoralis sui muneris curas in pauperum orphanorum levamen, auxiliumque præcipue impendere cogitasset, eos congregare, atque hospitio excipere in quadam domo hac de causa emptionis titulo ab ipso in oppido civitate nuncupata Varsavien. comparata decrevit, ut ibidem mecanicas artes ediscere, et exercere commode, ac utiliter possent; domus autem hujusmodi gubernium, et directionem in synodo habita anno MDCCXX provisoribus confraternitatis, ut asseritur, canonice erectæ in ecclesia sancti Benonis civitatis prædictæ idem Christophorus Episcopus comisit; verum quia redditibus, ac dote dicta domus destituta penitus reperiebatur, hinc bo. me. cognominatus Rostkowki tunc existens Episcopus suffraganeus Luceorien. facultatem a cla. me. Augusto III, dum vixit, Poloniæ rege obtinuit in ea erigendi domum correctionis, ita tamen, ut conservationi quoque orphanorum hujusmodi eadem domus deservire deberet, commisso præfatæ domus correctionis sic ut præfertur fundatæ, gubernio uni rectori a dicta confraternitate deputando, eamdemque domum ab ordinaria jurisdictioni exemptam solumque jurisdictioni cancellariorum regni, ac patrocinio regis Poloniæ subjectam esse voluit. Sic itaque in generalibus comitiis habitis anno MDCCXXXVI hujusmodi fundatione approbata, minime inde finis, ac effectus a prædictis fundatoribus pie volitus unquam obtentus fuit; quippe quia pauperes orphani propter reddituum, ac dotis deficientiam per vicos, ac plateas, ut asseritur, victum sibi querere coguntur, neque in domo prædicta certa, ac stabilis vivendi ratio, artiumque mecanicarum exercitium viget, et habetur.

Demonstrantur utilitates, quæ orirentur ab expostulata unione.

§. 2. Ii vero, qui correctionis causa ibidem detinentur famæ, ac pœnis languescunt, ac omni sive temporali, sive spirituali carent auxilio. E contra autem, cum prædicta societas manufacturarum, et lanificij in regno hujusmodi erecta sit, eique quamplures dicti regni optimates nomen quoque dederint, ac optimis, prudentissimisque legibus gubernetur, pluribusque exemptionibus, et privilegiis decorata existat, hinc dicti exponantes, re mature perpensa, fini, ac effectui volito a præfatis fundatoribus, quam maxime convenire censuerunt, domum prædictam orphanorum una cum domo correctionis subiici gubernio, ac directioni ejusdem societatis, ac simul uniri, et incorporari, dum artium mecanicarum institutum a prædicto Christophoro Episcopo, et fundatore orphanis præscriptum mirum in modum instituto ejusdem societatis respondere dignoscitur.

Exponitur æque quidquid ipsi unioni expostulatæ adversetur.

§. 3. Quoniam vero, sicut eadem expositio subjungebat, unioni Orphanotrophii hujusmodi a memorato Christophoro Episcopo, ut præfertur, erecti obstat illius fundatio, et synodalis desuper edita dispositio prædicta, qua illud directioni, et gubernio præfatæ confraternitatis sub ordinaria jurisdictione existentis subjectum fuit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut firmis remanentibus omnibus obligationibus utriusque fundationis, nempe tam Orphanotrophii, quam domus correctionis hujusmodi, quæ in posterum a societate prædicta adimplenda, et exequenda erunt, eodem ferme modo, quo eas dicta confraternitas Sancti Benonis usque adhuc adimplevit, et exequuta fuit, solutisque ecclesiæ memoratæ

confraternitatis emolumentis illis, quæ hactenus dicta confraternitas inde percipere consuevit, Orphanotrophii, et domus correctionis hujusmodi unionem, incorporationem, et respective subjectionem prædictam auctoritate nostra apostolica approbare, et confirmare, ac in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris pro assequenda gratia, et commissio Episcopo directa præcipiendi unionem quatenus vera sint exposita.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii, et ex peculiaribus facti circumstantiis hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut audita præfata confraternitate Sancti Benonis, verisque existentibus narratis, ad petitam unionem tam Orphanotrophii, quam domus correctionis hujusmodi favore supradictæ societatis manufacturarum, et lanificii, legibus fundationum, constitutionibus synodalibus, aliisque in contrarium non obstantibus, auctoritate nostra apostolica tenore præsentium pro tuo arbitrio, et conscentia devenire possis, et valeas.

Præcipitur ut fundationis utriusque præscripta firmiter custodiantur.

§. 5. Volumus autem, quod omnes obligationes juxta præscriptum utriusque fundationis hujusmodi firmæ remaneant, et in perpetuum serventur, eisque a præfata societate in posterum satisfaciendum sit, prout hactenus dicta confraternitate Sancti Benonis satisfactum fuit, ac præterea mandamus, ut eadem societas obligationem solvendi in perpetuum memoratæ ecclesiæ Sancti Benonis omnia emolumenta, quæ ex dictis fundationibus percipere consueverat juxta liquidationem a te faciendam in forma juris valida emittat. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis præfatæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, et apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non Orphanotrophii, et domus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima tertia Augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

---

## DCLXXXV.

Dat. die 13. Augusti 1768. Ann. XI.

Indultum concessum piscatoribus portus de Rivadasella diæcesis Oveten. exercendi piscationem diebus festis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater Epi. Oveten. salutem, et apostolicam benedictionem.

Ob paupertatem, et deficientiam aliorum ad vitam substentandam necessariorum etiam festis diebus piscationis exercitium conceditur exceptis diebus solemnibus.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii piscatores portus de Rivodesella Oveten. diæcesis, quod cum ipsi ex piscatione victum trahant, nec alia possint ratione subsistere, quandoque vero diebus ferialibus ob temporum procellas nihil lucri percipere valeant, attenta eorum paupertate, et necessitate piscationem diebus festis peragere posse plurimum desiderant. Nobis propte-

rea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis; eisdem exponentibus petitam facultatem exercendi piscationem diebus festis, dummodo prius sacrosancto missæ sacrificio intersint, exceptis tantummodo solemnioribus festivitatibus, scilicet nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Paschatis resurrectionis, Annunciationis, et Assumptionis B. M. V., sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac omnium sanctorum, nec non sanctæ Eulaliæ Emeretensis patronæ diæcesis, ac sanctæ Marinæ ac titularis ecclesiæ parochialis supradicti portus, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis impertiaris; erogata tamen aliqua summa arbitrio tuo ex lucro ex piscatione retrahendo in eleemosynam Christi pauperum; salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§. 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et sinodalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictæ diæcesis, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia Augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno XI.

---

## DCLXXXVI.

Dat. die 27. Augusti 1768. Ann. XI.

Concessio nonnullarum facultatum cappellano majori exercituum regis Catholici.

### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Cum in exercitibus carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici multa sæpe contingere possunt, in quibus pro recta sacramentorum administratione, salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt, et versantur, nec non pro cognoscendis, et decidendis inter eos causis, et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera, et industria unius, seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit, quippe quia non facile ad proprios parochos, et locorum ordinarios, aut ad Nos, et Sedem apostolicam recursus haberi valeat.

Eadem privilegia jam ad septennium concessa fuerant eidem cappellano ad requisitionem serenissimi Regis Hispaniarum.

§. 2. Hinc alias Nos ad supplicationem ipsius Karoli regis per quasdam nostras in simili forma brevis die decima Martii anni MDCCLXII. expeditas literas dilecto filio nostro Bonaventuræ S. R. E. presbytero Cardinali de Cordova Spinola de la Cerda a sancto Karolo nuncupato ex concessione, et dispensatione apostolica moderno, et pro tempore existenti Patriarchæ Indiarum, qui nunc, et deinceps cappellanus major, sive vicarius exercituum ejusdem Karoli regis esse debet nonnulla indulta, privilegia, et facultates ecclesiasticas, et spirituales, quibus erga milites militares, aliasque personas ad militiam, et exercitus prædictos spectantes uti valeret ad septennium a data earumdem Nostrarum literarum computan., sub certis modo, et forma tunc expressis concessimus, et indulsimus, ac alias prout in prædictis nostris literis, uberius continetur. Postmodum vero cum circa hujusmodi facultates ecclesiasticas eidem

Bonaventuræ Cardinalis Patriarchæ cappellano majori, sive vicario exercituum concessas inter ipsum, et venerabiles fratres Archiepiscopos, Episcopos, seu dilectos filios alios locorum ordinarios in Hispaniarum regnis existentes nonnullæ ortæ essent controversiæ, et excitata dubia super dictarum nostrarum literarum interpretatione, atque intelligentia, ut controversiæ, et dubia hujusmodi penitus extinguerentur, et tollerentur, Nos ad supplicationem ejusdem Karoli regis per alias nostras in simili forma brevis die XIV. Martii MDCCLXIV. expeditas literas proposita dubia, et quæstiones hujusmodi declaravimus, et definivimus, ac alias prout in eisdem secundo dictis nostris literis plenius pariter continetur.

Preces porrectæ per confirmatione privilegiorum.

§. 3. Nuper autem ejusdem Karoli regis nomine Nobis expositum fuit, quod septem anni, ad quos prædicta indulta, privilegia, et facultates memorato Bonaventuræ Cardinali Patriarchæ cappellano majori, seu vicario exercituum hujusmodi concessa fuerant, versus finem vergant, ipse vero Karolus rex easdem facultates privilegia, et indulta juxta earumdem nostram. secundo dictarum literarum formam, et dispositionem intelligenda, et interpretanda ad aliud septennium per Nos iterum concedi plurimum desiderat.

Concessio confirmationis indultorum, et privilegiorum, quorum enumeratio, et explicatio adjungitur.

§. 4. Idcirco Nos supplicationibus ejusdem Karoli regis nomine humiliter porrectis inclinati, easdem secundo dictas nostras literas die XIV. Martii MDCCLXIV., ut præfetur, expeditas, ac quascumque declarationes, concessiones, aliaque omnia, et singula in eis contenta, atque disposita, quæ præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, confirmamus, approbamus, innovamus, illisque apostolicæ firmitatis nostræ vim, robur, atque munimen adiicimus, easque, ac in illis contentas decisiones, et declarationes ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque quomodolibet spectabit in futurum inconcusse, et irrefragabiliter observari volumus, præcipimus, et mandamus, eidemque Bonaventuræ Cardinali, et, ut præmittitur, ex concessione, et dispensatione apostolica moderno, nec non pro tempore existenti Patriarchæ Indiarum infrascriptas facultates juxta tenorem, ac formam secundo dictarum nostrarum literarum in omnibus, et per omnia, ut præfertur, intelligendas, et interpretandas, atque exequendas per se, vel alium, seu alias personas in ecclesiastica dignitate constitutas, sive alios sacerdotes probos, et idoneos per se ipsum cappellanum majorem, seu vicarium exercituum hujusmodi, prævio diligenti, et rigoroso examine, repertos, ac approbatos (quatenus ab aliquo suo ordinario approbati non essent) et ab eodem cappellano majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes tantum exercendas, videlicet administrandi omnia ecclesiæ sacramenta, etiam ea, quæ nonnisi per parochialium ecclesiarum rectores ministrari consueverant, præter confirmationem, et ordines, si ipse subdelegatus, seu subdelegandus episcopali charactere insignitus non fuerit, vel cappellanus major prædictus per se ipsum dicta sacramenta confirmationis, et ordinum administrare non possit, reliquasque functiones, et munia parochialia obeundi, absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate intra Italiam quidem, et insulas adjacentes illos tantum, qui in eis locis ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel sanctæ romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint, extra Italiam vero, dictasque adjacentes insulas, quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hoc in foro conscientiæ dumtaxat. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus etiamsi casibus Nobis, et eidem Sedi apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in literis die cænæ Domini quotannis legi solitis; restituendi extra Italiam solummodo, et insulas adjacentes, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendis libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum. religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, et infideles in castris forte degentes ad ortodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Karoli Molinei, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac

ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis in quibus hereses impune grassantur, minime efferantur; celebrandi missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas etiam extra ecclesiam in quocumque loco decenti etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgenti necessitate etiam bis in die, si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit, nec non super altari portatili etiam non integro, seu diffracto, aut leso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegij, scandali, et irreverentiæ etiam præsentibus, hærecticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus christifidelibus ad prædictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, nec non in nativitate Domini nostri Jesu Christi, Paschatis resurrectionis, ac Assumptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ festis diebus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem; singulis autem Dominicis, et aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint decem annis de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, easdemque indulgentias sibi lucrandi singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ officio novem lectionum non impeditis, vel eis impeditis die immediate sequenti celebrandi missam de requiem in quocumque altari etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorij pœnis per modum suffragij. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis, et infidelibus periculum subsit sacrilegij, vel irreverentiæ sanctissimum eucharistiæ sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestibus sæcularibus, licet sacerdotes etiam regulares fuerint. Benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit, si subdelegatus episcopali dignitate insignitus non fuerit. Reconciliandi ecclesias, et cappellas, ac cæmeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est benedicta, immo etiam magna urgente necessitate, ut missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta præterea eidem cappellano majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo subdelegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem, et informationem ab eorum ordinario, aliisque personis fide dignis per ipsum cappellanum majorem desuper exquirendum omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus prædictis pro sacramentorum, administratione nec non spirituali animarum cura, et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri sæculares, sive quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quod clericos sæculares eorum veri præsules, et pastores, quoad regulares vero illorum superiores generales essent, omnesque causas ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales, et mixtas inter, seu contra prædictas, aliasque personas in exercitibus prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis pertinentes etiam summarie simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura judicii, sola facti veritate inspecta audiendi, et fine debito terminandi contra inhobedientes quoslibet ad censuras, et pœnas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam sævius reaggravandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi. Eisdem insuper christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus quadragesimæ, et aliis anni temporibus, et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta, et Sabatho cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi, ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi re-

spective prout, et in quantum Episcopis locorum ordinariis juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta id facere licet, seu permittitur, quoad vota, seu juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta, nec non quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent ad septennium a fine dictorum septem annorum computan. ad nostrum, et Sedis apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur. Volumus autem, ut ij sacerdotes, quos idem cappellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandos duxerit hujusmodi facultatibus uti valeant in omnibus, et per omnia juxta formam, et tenorem supramemoratarum nostrarum secundo dictarum literarum die XIV. Martii MDCCLXIV. expeditarum, et erga personas dumtaxat in eiisdem nostris literis contentas, et expressas; ac præterea mandamus, ut statim atque iidem sacerdotes, quos cappellanus major subdelegaverit ad temporaneas, et accidentales militum, et exercitium hujusmodi stationes devenerint, literas testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis pro hujusmodi munere exercendo parochis locorum exibere debeant, quibus visis hi non impediant, quominus missam in suis ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum sacramenta etiam parochialia ministrare valeant, quod si matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum prædictarum commoretur, altera vero parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu nec parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi hujusmodi matrimonij assistat, aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul, atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinuum quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis hujusmodi ordinibus, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, approbatis, innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenore præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima septima Augusti millesimo septigentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

---

## DCLXXXVII.

Dat. die 5. Septem. 1768. Ann. XI.

Commissio Archiepiscopo Taurinen. super executione quarumdam literarum Urbani VI. Eugenii IV. et Nicolai V. super separatione nonnullorum locorum, seu Villarum a Diæcesi Asten. eorumque unione cum diæcesi Montis Regalis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Taurinen.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis providentia iis, quæ rationabilibus suadentibus causis pro christifidelium utilitate, salubrique, et prospera ecclesiarum præsertim cathedralium, earumque diœcesum directione a prædecessoribus suis laudabiliter disposita, et constituta fuisse dignoscuntur, ut eo firmius illibata persistant, quo sæpius fuerint apostolicæ Sedis communita præsidio libenter suæ approbationis, atque confirmationis robur adjicit, et si quando ob rerum, ac temporum varietatem debitæ executioni demandata non fuerint, et instaurat, ac de novo decernit et alias apostolicæ auctoritatis partes desuper interponit, prout omnibus circumstantiis mature perpensis, eorumdem fidelium saluti, et commodis, ecclesiarumque prædictarum, ac illis præposi-

torum sacrorum Antistitum pacifico, et tranquillo statui conspicit in Domino salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Sane, sicut Nobis nuper exponi fecerunt venerabiles fratres Michael Episcopus Montis Regalis, ac Paulus Episcopus Asten. olim fe. rec. Urbanus PP. VI. prædecessor noster per suas VI. Idus Junii pontificatus sui anno XI. sub plumbo expeditas literas ecclesiam sancti Donati Montis Regalis in novam cathedralem erexit, atque insuper quousque diæcesis dictæ civitatis Montis Regalis limitata foret, idem Urbanus prædecessor liberam administrationem, et gubernationem in quibuslibet ecclesiis, terris, villis, et castris existentibus in partibus Pedemontium inter flumina Tanagri, et Sturiæ cum villis Bastitæ, Cillierij, et Rochæ Cillierij nuncupat diæcesis Asten. Episcopo Montis Regalis concessit, et assignavit, ac alias prout in ejusdem Urbani prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Nonnullæ tamen ex villis hujusmodi dicto Episcopo Montis Regalis ut præfertur, assignatis, nempe Pamparaci, et Turris, ac Sancti Michaelis, Nielli, Cillierij, et Roche Cillierij, quæ a civitate Montis Regalis per spatium paucorum milliarium distant, et a diæcesi Asten. prorsus separatæ, ac disjunctæ consistunt, atque insuper ab ipsa civitate Asten. non minori quidem quam trium dierum itinere dissitæ reperiuntur, via porro hiberno præsertim tempore, aquisque abundantibus, perdifficili, obstinato animo Episcopo Montis Regalis se se subijcere detrectarunt, ita ut memoratæ ejusdem Urbani prædecessoris literæ quoad territorij hujusmodi designationem, ac determinationem executioni demandatæ minime fuerint;

Memoratur Bulla fel. recor. Eugenii Papa IV. super concessione territorii factæ ecclesiæ Montis Regalis.

§. 3. Quocirca ad preces bo. me. Percevalti tunc Episcopi Montis Regalis fel. rec. Eugenius PP. IV. Prædecessoquoque noster per suas x. kalendas Septembris anni MCCCCXXXV, sub plumbo expeditas literas facultatem tunc existentibus abbatibus monasteriorum Sancti Stephani, et Savilliani, nec non cantori ecclesiæ Taurinen subtrahendi in perpetuum a diæcesi ecclesiæ Asten. et assignandi ecclesiæ Montis Regalis easdem partes inter flumina prædicta cum omnibus, et singulis in eis consistentibus, ac Bastite Cillierij, et Rochæ Cillierij, nec non Villis earumdem concessit, et indulsit, ac alias prout in eisdem memorati Eugenii prædecessoris literis, quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Vi itaque hujusmodi facultatum prædictis abbatibus, et cantori, ac cuique ex ilis vel communiter, vel divisim concessarum, ut præfertur, idem abbas sancti Stephani, assumpta hujusmodi causæ notione, quemadmodum ex sententia desuper ab eo edita die XVIII. Maii MCCCCXXXVI. constare dicitur, easdem partes inter flumina prædicta consistentes cum Villis, seu locis Bastitæ, Cillierij, et Rochæ Cillierij a diæcesi Asten. subtraxit, illasque diæcesi Montis Regalis assignavit, et univit, ac alias prout ex dicta sententia auctoritate apostolica postmodum, ut asseritur, confirmata, constare dicitur, cujus tenorem psæsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, plenius itidem dicitur contineri.

Memoratur æque bulla Nicolai Papæ V. super eadem re.

§. 4. Deinde vero p. me. Nicolaus PP. V. prædecessor quoque noster tunc existentibus Episcopo Taurinen., et abbati Pinarolien. demandavit, ut ipsi novæ diæcesis Montis Regalis fines constituerent, illamque Astensis diæcesis partem inter flumina prædicta consistentem, ac Bastitæ, Cillierij, et Rochæ Cillierij villas a prædicta diæcesi Asten. separarent, et segregarent, et alias prout in ejusdem Nicolai prædecessoris die XI. kalendas Aprilis pontificatus sui anno VI. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, atque inserto haberi volumus, plenius pariter dicitur contineri.

Non obstantibus prædictis constitutionibus nonnulli habitatores villarum renuerunt subjicere jurisdictioni Episcopi Montis Regalis, unde etiam incomoda plurima obvenerunt.

§. 5. Non obstantibus tamen omnibus prædictis, habitatores earumdem villarum jurisdictioni Episcopi Montis Regalis se se subiici nullo modo voluerunt, sed sub jurisdictione, et subjectione Episcopi Asten. constanti animo permanserunt, et nunc quoque permanent; pluribus vero ab hinc annis propter gravia, et sumptuosa incommoda, quæ ex distantia ab eorum cathedrali in habitatores villarum hujusmodi procedunt, ipsi quoque diæcesi Montis Regalis se se tandem subiici exoptarunt, et nunc quoque exoptant; qua de re habitatores prædicti penes earumdem Villarum communitates super his insteterunt, earumque nomine preces dicto Paulo Episcopo Asten. exponenti abtulerunt. Idem itaque Paulus Episcopus non tantum precibus hujusmodi commotus; verum etiam quia propriis

oculis inspexit, et occasione ab eo peractæ pastoralis visitationis agnovit, huic remotæ parti suæ diæcesis minime provideri posse, ea qua par est, celeritate, et diligentia, quo circa ut suo muneri faceret satis, prædicto Michæli Episcopo Montis Regalis itidem exponenti earumdem Villarum unionem cum sua diæcesi proponere non omisit: ipse vero Michæl Episcopus, licet magna pars suæ diæcesis in locis montuosis, et alpinis consistat, ac non sine gravi labore, et incommodo visitari, atque gubernari valeat, et villæ prædictæ in similibus locis æque pariter sitæ sint, nihilominus animarum salutem paterna charitate cæteris omnibus præferendo prædictas Villas in suam diæcesim recipere, eique unire libenti animo deliberavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius unio hujusmodi ad Dei gloriam, et animarum salutem suum consequatur effectum, dicti exponentes illius executionem alicui per Nos auctoritate nostra apostolica committi, et demandari plurimum cupiant, idque carissimus quoque in Christo filius noster Karolus Emmanuel Sardiniæ rex illustris pro singulari sua in Deum, et proximos charitate summopere desideret.

Concessio unionis cum nonnullis reservationibus, et cauthelis.

§. 6. Nos piis ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis libenti animo annuere, ipsosque exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque, singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas Urbani, ac Eugenii, et Nicolai prædecessorum nostrum Romanorum Pontificum literas, ac sententiam a memorato abbate sancti Stephani, ut præfertur, editam auctoritate nostra apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, ac fraternitati tuæ auctoritate, et tenore prædictis committimus, et mandamus, ut præfatas literas eorumdem Urbani, Eugeni, et Nicolai prædecessorum, una cum præfata sententia juxta illarum formam, tenorem, et continentiam executioni demandes, illasque exequi cures, et facias.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die tertia a Septembris millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno undecimo.

---

## DCLXXXVIII.

Dat. die 10. Septem. 1768. Anno XI.

Indultum, ut missæ sacrificium, quod in cappella posita prope, et extra clausuram monasterii Montis Oliveti majoris Congregationis Olivetanæ celebratur pro omnibus christifidelibus valeat in adimplementum præcepti de audienda missa.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii vicarii generalis monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Olivetanæ Nobis expositum fuit, quod cum pro-

pe, et extra clausuram monasterii beatæ Mariæ Montis Oliveti majoris nuncupati ejusdem congregationis nullius diæcesis provinciæ Senen. quædam ædes existant pharmacothecæ, et hospitij usui addictæ palatium vulgo pariter nuncupat., in earum privato oratorio, seu cappella sacrosanctum missæ sacrificium in monachorum, ac inservientium dumtaxat præsentia celebratur. Verum quia quamplures utriusque sexus christifideles, et præsertim pauperes ibidem convenire solent, ut eleemosynam panis, qui quotidie data hora distribuitur, consequantur, atque insuper contingat etiam alias personas ibidem hospitio recipi, ipse exponens pro eorumdem christifidelium spirituali consolatione, sacrosanctum missæ sacrificium hujusmodi eisdem christifidelibus diebus festis in præcepti de audiendo sacro satisfactionem suffragari posse plurimum desiderat. Nos igitur exponentem prædictum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, quo magis eorumdem christifidelium spirituali consolatione, et animarum saluti consultum sit, ut missæ sacrificium in memorato oratorio, seu cappella, ut supra celebrari solitum etiam dictis utriusque sexus christifidelibus, ad eleemosynam panis, ut præfertur, confluentibus, aliisque personis ibidem hospitio pro tempore receptis diebus festis in præcepti adimplementum suffragetur, auctoritate apostolica tenore præsentium ad septennium proximum tantum indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub aunulo piscatoris die decimo Septembris millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno undecimo.

## DCLXXXIX.

Dat. die 10. Octobris 1768. Anno XI.

Reprobatur lex edita a Senatu Veneto super reformatione Ordinum regularium.

Venerabilibus fratribus Joanni Patriarchæ Venetiarum, Archiepiscopis et Episcopis in ditione Reipublicæ Venetæ.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

*Dolet de lata per Venetum senatum lege super reformatione ordinum regularium.*

§. 1. Ad plurimas acerbitates, quas usque adhuc obtulit, atque etiamnunc graviores quotidie Nobis exhibet in hac temporum injuria Pontificatus nostri conditio, accessit modo lata lex a Reipublicæ Venetæ Senatu, quæ sub obtentu reformandorum Ordinum regularium eo denique spectat, ut in ejusdem Reipublicæ ditione regulares Ordines funditus deleantur. Sed si in iisdem Ordinibus regularis observantiæ studia refrixerunt, eo tamquam ad veram causam referenda est disciplinæ prolapsio, quod in iis, quæ ad regendorum regularium gubernationem pertinent, se immiscuerit laica potestas; unde legitimæ superiorum aut generalium aut localium potestati, atque etiam hujus apostolicæ Sedis auctoritati objectis impedimentis, quominus apta et convenientia subnascentibus malis remedia adhiberentur, factum est, quod necesse fuerat, ut eadem in dies gliscerent mala, quibus nunc medendis lex illa, etiamsi a legitima potestate proficisceretur, minime est opportuna, quæ regulares Ordines non restituit, sed evertit.

*Illam contra potestatem Ecclesiasticam pugnare declarat, suadetque ut ab illa recedatur.*

§. 2. Et in omnibus quidem suis capitibus ea lex ecclesiasticam potestatem imminuit: sed quod ad regulares Ordines recte gubernandos saluberrime Ecclesia constituit, omnia fere depravat atque permiscet. Atque illud occurrit in fronte, quod in primo ejusdem legis capite omnis omnino a jurisdictione vestra in rebus spiritualibus regularium ordinum exemtio tollitur; vosque, venerabiles fratres ad ordinariam jurisdictionem in regulares plene ac libere exercendam excitamini: quæ quidem adhortatio maximum teterrimumque gignere potest malum, ut ipsi vos ab ea, quam huic debetis apostolicæ Sedi, obedientia secludamini. Quamobrem, etsi pietate vestra et summa,

quam adhuc præstitistis, in Nos et hanc sacram B. Petri Sedem voluntate obedientia et devotione summopere confidimus, nunquam futurum ut ea utamini potestate, cujus facultas ab eo, qui tali facultate prorsus caret, vobis conceditur; tamen existimavimus esse apostolici nostri muneris fraternitates vestras per has nostras literas admonere, vobisque injungere, ut exemtiones regularibus Ordinibus ab hac apostolica Sede concessas, et a prædecessore nostro fel. record. Leone X. in Lateranensi generali Concilio quinto vobis studiosissime commendatas, strenue tueamini, nec quisquam vestrum ordinariam jurisdictionem, unde Romani Pontifices eosdem Ordines subduxerunt, in eos exerceatis; sed ea tantummodo jurisdictione, quemadmodum usque adhuc fecistis, utamini, quam in regulares quibusdam in rebus a vobis adhiberi oportere, Tridentina synodus sanxit. Mirum profecto, Senatum in ea lege tam nullam Tridentini concilii rationem habuisse, novitatisque cupiditati parere maluisse, quam priscam illam retinere devotionem erga S. Ecclesiam in illo celeberrimo sacro conventu congregatam; et a veteris illius Senatus recessisse vestigiis, qui quod inter primos catholicos Principes decretorum ejus synodi singulari studio et alacritate exequutionem injunxisset a fel. record. prædecessore nostro Pio IV. honorificentissimis fuerit literis et immortali præconio laudatus. Vobis quidem, venerabiles fratres, nihil antiquius nec magis cordi esse arbitramur, quam ut Ecclesiæ pareatis, quæ regularium privilegia in memorato Lateranensi concilio vobis commendat = *Ipsos quoque*, inquit *Episcopos hortamur, et per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes eorum jura omni cum caritate custodiant atque defendant* = Et fraternitatibus vestris intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima Octobris 1768. Pontificatus nostri anno XI.

## DCXC.

Dat. die 21. Novemb. 1768. Ann. XI.

Confirmatio decreti a Magno Magistro hospitalis S. Joannis Hyerosolimitani statuentis tempus quo initium sumere debeat mortuarium commendarum, tam vacantium, quam vacaturarum, ob privationem eorum, qui debitores sint comunis ærarii dicti hospitalis.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Refertur ratio constitutionis.

§. 1. Ratio apostolici ministerii Nobis, licet immeritis, a Christo Domino injuncti exigit, ut litigia, et discordias, quæ humani generis hoste zizania superseminante, ecclesiasticas personas præsertim regulares pro fidei catholicæ adversus Christi nominis inimicos defensione jugiter laborantes perturbat, omni cura evellere studeamus; quo circa ea, quæ ad fovendam inter ipsos pacem provide, salubriterque constituta esse noscuntur, libenter, cum id a Nobis petitur, apostolici muniminis præsidio roboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magnus Magister, et consilium hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod ipsi, ut omnis amoveretur dubietas, eorum decreto die XXIV. Septembris MDCCLXVII. edito, statuerunt tempus, quo initium sumere debeat mortuarium præceptoriarum, seu commendarum ejusdem hospitalis, quarum vacatio, vel jam secuta fuisset, vel in posterum sequi contigeret propter privationem debitorum communis ærarii hospitalis prædicti, et alias prout in dicto decreto uberius continetur. Hujusmodi vero decreti tenor est qui sequitur videlicet.

Fr. Emmanuel Pinto

Tenor decreti, cujus exposcitur confirmatio.

§. 2. Dei gratia, sacræ domus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et militaris Ordinis sancti sepulchri Domini Magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos: universis, et singulis præsentes nostras literas visuris, lecturis, et audituris salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent; quod quidem in hanc publicam formam extrahi, et redigi jussimus ut ubique tam in judicio, quam extra eidem plena,

et indubitata fides adhibeatur; cujus tenor est qui sequitur videlicet.

Die 24. mensis Septembris 1767.

Tenor precum, quæ decretum excitarunt.

§. 3. Essendosi letto il Chirografo de venerandi procuratori del comun tesoro toccante il tempo, in cui deve cominciare il mortorio delle commende, che vacheranno per la privazione dei debitori dello stesso comun tesoro, qual'è del tenore seguente, cioè

Eminentissimo Signore

La veneranda camera de' conti con suo decreto delli 15. Maggio 1765. fondato sopra la disposizione dello statuto 29 del tesoro stabilì che il mortorio delle commende di Castres, e s. Mauvais, delle quali fu privato il commendatore fr. Alessandro de Grieu, doversi incominciare dal giorno della smutizione. I provisti di dette due commende, il venerando Balì fr. Camillo de Rohan, ed il Commendatore le Bacle d' Argentewil pretesero, che il mortorio correr dovesse dal dì della privazione sotto lo apparente motivo, che il decreto del venerando consiglio di stato del 5. Giugno 1728. avendo saggiamente disposto, che le smutizioni in simili casi non si dovessero permettere prima del lasso di otto mesi da contarsi dal dì della privazione, o ammette di fissarne il tempo: onde procurarono di adattare a questa loro pretensione il senso delli statuti 27, 28, e 29 del tesoro.

La veneranda camera de' conti, alla quale ebbero questi ricorso deputò sotto li 27 Marzo 1766. commissarj, li quali essendosi nella loro relazione uniformati all'enunciato decreto dei 15 Maggio 1765. fù dalla medesima confermato sotto li 11. Settembre dello stesso anno, dal quale interposero immediatamente appellazione all' Emza Vostra, ed a questo venerando consiglio; ma ravvedutisi finalmente dell' abbaglio da loro preso, hanno rinunciato sotto li 2. del corrente mese di Settembre alla fatta appellazione, ed hanno accettato con religiora rassegnazione il più volte enunciato decreto della veneranda camera de' conti; ci crediamo noi pertanto in obbligo, Emo signore, di esporle questo fatto, affinchè l' Emza Vostra si compiaccia confermare con questo venerando consiglio l' enunciato decreto, colla espressa dichiarazione, che ne casi di privazione di dignità, e di commende per debiti verso il venerando comun tesoro, debba il mortorio incominciare dal dì della smutizione, e questo per evitare quanto sia possibile nuovi pretesti di litigio a nostri religiosi; sottoponiamo pertanto questo nostro pensamento alla risoluzione, che l' Emza Vostra stimerà più conveniente. Ci diamo l' onore di farle profondissima riverenza. Dal tesoro li 9. Settembre 1767. Fr. Silvio Vincentini segretario del comun tesoro.

L' Emo, e Rmo sig. Gr. Maestro, ed il venerando consiglio inerendo al preinserto chirografo, hanno collo scrutinio delle palle N. D. stabilito, doversi cominciare detto mortorio dal giorno della smutizione delle riferite commende vacanti per privazione de'debitori del comun tesoro.

Et quia ita se habet veritas, ideo in hujus rei testimonium bulla nostra magistralis in cera nigra præsentibus est impressa. Datum Melitæ in conventu nostro die, mense, et anno supradictis etc.

Regist. in cancellaria.

Loco ✠ Signi

Bajulivus Aquilæ Fran. Guedes Vice-canc.

Supplicationes porrectæ pro confirmatione dicti decreti, ut suam assequatur plenissimam firmitatem.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum decretum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Præceptum de observando quidquid in dicto decreto continetur.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordi-

narios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima prima Novembris MDCCLXVIII., pontificatus nostri anno undecimo.

---

## DCXCI.

Dat. die 24. Novemb. 1768. Anno XI.

Puellis retentis in conservatorio beatæ Mariæ virginis sine macula conceptæ, posito in regione Montium de Urbe conceditur facultas consequendi dotes, et subsidia dotalia tam pro matrimonio, quam pro monacatione perinde ac si in aliis conservatoriis Urbis degerent.

### Clemens PP. XIII.

### Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Alias a fel. record. Clemente PP. X. prædecessore nostro ad preces tunc existentium administratorum conservatorii puellarum sub titulo Conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ in regione Montium de Urbe emanarunt literæ in simili forma brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet = Clemens PP. X. ad futuram rei memoriam. Exponi nuper fecerunt dilecti filii administratores conservatorii puellarum sub titulo Conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ in regione Montium de Urbe, quod cum dictæ puellæ ex omnibus ejusdem Urbis regionibus, ut pudicitiæ periculis, quibus ob earum inopiam expositæ essent, subtradantur in conservatorium prædictum recipiantur, ibique tamdiu substententur, donec eis de honesta conditione sit provisum; nihil autem eis, dum collocantur ex instituto dicti conservatorii, ab ipso conservatorio, quippe facultatibus non satis instructo, præstari soleat, et fel. rec. Clemens PP. IX. prædecessor noster eisdem puellis indulserit, ut ad quæcumque subsidia dotalia locorum piorum Urbis prædictæ admitti possent, licet in dicta regione Montium habitarent, et alias prout in rescripto ejusdem Clementis prædecessoris desuper emanato, dicitur contineri.

Expositio precum.

§. 2. Verum dilecti filii deputati, seu curatores eorundem locorum piorum in executionem dicti rescripti puellas prædictas ad subsidia dotalia hujusmodi admittere recusent, causati forsitan, quod hujusmodi subsidia dotalia ex instituto, seu consuetudine, vel usu prædictorum locorum piorum puellis certarum regionum semper, vel alternis vicibus destinata sint, quodque institutum, seu consuetudo, vel usus hujusmodi, quod ad cætera puellarum dictæ Urbis conservatoria observetur; præfati exponentes considerantes non adesse inter primodictum, et cætera conservatoria hujusmodi paritatem cum hæc conservatoria eorum puellis, cum in religione, vel matrimonio collocantur, subsidium dotale præstari consueverint, plurimumque expediri, ut puellis primodicti conservatorii de honesta conditione quantocitius provideatur, quo aliæ puellæ periclitantes subinde earum loco in idem conservatorium recipiantur: cujus rei utilitas cum Dei servitio conjuncta in omnes dictæ Urbis regiones peræque redundat, opportune in præmissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri, summopere desiderant.

Indultum concessum pro consequendis quibuslibet dotalibus subsidiis.

§. 3. Nos igitur pudicitiæ conservationi, et necessitatibus puellarum dictarum ad omnipotentis Dei gloriam, et christianæ pietatis, et charitatis operum incrementum, et felicem progressum, ex commissæ Nobis cælitus dispensationis officio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares per-

sonas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis deputatis, seu curatoribus, aut administratoribus quorumcumque locorum piorum Urbis prædictæ, aliisque quibuslibet, ad quos dotium, sive subsidiorum dotalium distributio, seu traditio nunc spectat, et pro tempore spectabit, auctoritate apostolica tenore præsentium præcipimus, et mandamus, ut puellas in præfato conservatorio Conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ nunc, et pro tempore existentes, licet in supradicta regione Montium habitent, nihilominus ad dotes, sive subsidia dotalia quæcumque hujusmodi tam matrimonii, quam monachatus ratione præstanda, una cum puellis quarumcumque ejusdem Urbis regionum æqualiter, et pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia admittant, illisque dotes, seu subsidia dotalia hujusmodi respective, servatis alias servandis, realiter, et cum effectu præstent in omnibus, et per omnia perinde ac si puellæ ipsæ in singulis Urbis hujusmodi regionibus habitarent; Nos enim quamcumque necessariam, et opportunam ad id facultatem eis harum serie eadem auctoritate tribuimus, et impertimur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac puellis prædictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Contrariis omnibus derogatur.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quorumcumque testatorum, et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Urbis, et quorumcumque illius locorum piorum etiam specifica, et individua mentione dignorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenoris præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum pro hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXII. septembris MDCLXXII. pontificatus nostri anno tertio. Cum autem sicut dilecti filii moderni præses, ac deputati ejusdem conservatorii sub titulo beatæ Mariæ virginis immaculatæ Nobis nuper exponi fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, harum supplicationibus inclinatis præinsertas Clementis prædecessoris literas, una cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus. Decernentes pariter præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ idem Clemens prædecessor in præfatis suis literis voluit non obstare, cæteris-

que contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXIV. Novembris MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 25. Januarii 1769. Ann. XI.

## DCXCII.

Confirmatio privilegiorum, quibus civitas Cervien. ab aliis Pontificibus donata fuerat.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectorum a civitate Cervien.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et homines civitatis nostræ Cervien., quod ipsi privilegia, indulta, immunitates, libertates, et gratias alias eidem civitati, illiusque incolis a diversis romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, et confirmata respective, quo firmiora subsistant, et ab omnibus exactius observentur apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderant.

Absolutio a censuris pro consequenda gratia novæ concessionis.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, et singula privilegia, immunitates, libertates, et gratias, ac indulta prædicta, dummodo in usu, et licita sint, et honesta, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non adversentur, debitæque Nobis, et S. R. E. obedientiæ, et fidelitati non repugnent, auctoritate prædicta, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Præcipitur, ut a quovis tribunali procedatur ad tra- mites concessionum.

§. 3. Decernentes nec non præsentes literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXV. Januarii MDCCLXIX. pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 26 Januarii 176 Ann. XI.

## DCXCIII.

Confirmatio resolutionum definitorii generalis habitarum in monasterio Calvomontano ordinis S. Benedicti, congregationis Polonæ super quatuor dubiis, circa institutionem studii philosophiæ, præcedentiam lectorum, et subministrationem necessariorum ipsis peragendam, ac eorumdem lectorum onera quoad chorum, et celebrationem missarum.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum pro assequenda confirmatione resolutionum definitorii generalis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii conventus, et monachi monasterii Calvomontan. ordinis sancti Benedicti congregationis Polonæ, et Bernardus Mirdo monachus expresse professus dictæ congregationis eorum procurator, quod superiori anno MDCCLXVIII. definitorio generali memoratæ congregationis pro parte ipsorum quatuor dubia examinanda, et resolvenda proposita fuerunt; primum nempe = An studium philosophicum institui debeat in monasterio Calvomontano. II. An lectoribus præcedentia competat super seniores, atque antiquiores. III. An lectoribus aliena monasteria inhabitantibus, et ab eis de necessario provisis providendum insuper sit a nativo monasterio de secundariis necessariis, et IV. an ipsi lectores literis obedientialibus ad nativa monasteria redeuntes consueta missarum onera, chorique frequentationem in diebus festis subire debeant juxta normam constitutionum.

Resolutio definitorii generalis singulorum dubiorum.

§. 2. Idem vero definitorium re mature perpensa ad primum respondit = affirmative = ad secundum autem = om-

nes graduatos ad locum superiorem jam admissos locis suæ graduationis uti, ac gaudere, quousque aliter ab hac sancta Sede decretum non sit, exceptis tamen tum de novo formalizandis lectoribus, tum in iis quoque, qui nondum in possessione existunt loci superioris, sive in nativis, sive in alienis reperiantur monasteriis, quos idem definitorium voluit, contentos esse debere loco vocationis suæ usque ad præfatam resolutionem a dicta Sede procurandam. = Ad tertium, respondendum censuit memoratum definitorium = Lectores ubi laborant ibi provideantur de necessariis, quibus sint contenti = demum ad quartum = affirmative =. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo firmius resolutiones, seu responsa præmissa definitorii generalis hujusmodi subsistant, et serventur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, et insuper præcedentiam debitam esse iis lectoribus, seu graduatis modo illam obtinentibus, et in monasteriis in quibus ipsi illam actu obtinent, non autem aliis lectoribus, aut graduatis, qui præcedentiam hujusmodi nunc minime gaudent, nec eorum successoribus, per Nos declarari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio resolutionum prædictarum, quarum observantia generalis præcipitur.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinen. super præmissis audiverunt, consilio, præfatas resolutiones dubiorum definitorii generalis prædicti auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, et ab omnibus, ad quos spectat, servandas esse volumus, ac jubemus, ita ut lectores, seu graduati, qui in quasi possessione præcedentiæ sunt, ea etiam in posterum gaudeant in iis monasteriis, in quibus eam obtinent; cæteros vero ea modo non gaudentes, aliosque deinceps, qui ad id muneris delecti fuerint, præcedentiam hujusmodi nulla prorsus ratione sibi sumere posse, auctoritate, et tenore prædictis declaramus, statuimus, et mandamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nihil in contrarium facere posse declaratur, derogatis omnibus etiam ordinationibus, et constitutionibus apostolicis.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, congregationis, et monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XXVIII. Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno undecimo.

**FINIS TOMI TERTII**